MARCI ANTONII
NATTAE ASTENSIS
VOLVMINA QVAEDAM NVPER EXCVSSA, NVMERO ET ORDINE, QVI SVBIICIVNTVR.

De libris suis quibusdam nunc primùm in lucem editis & argumentis eorum.
De Principum doctrina, magnum, & uarium, & elegans opus, libris IX. distinctum, in quo plurima de ueterum Heroum, Regum, Imperatorum gestis, & regimine continentur.
In funere Io. Francisci Nattæ patruelis, Oratio.
In obitu Illustrissimi Hieronymi Adurni, laudatio, seu consolatio.
Pro se & fratribus, seu pro familiarum dignitate.
Quum suscepit Mantuæ magistratum Rotæ, Oratio.
Post absolutionem gesti magistratus alia Oratio.
De Christianorum eloquentia liber.

AL DVS

VENETIIS, M. D. LXII.

MARCI ANTONII
NATTAE ASTENSIS,

DE LIBRIS SVIS QVIBVSDAM nunc primum in lucem editis, & argumentis eorum.

DVO quædam parua librorum meorum edo nunc uo lumina, iampridem elaborata. Vnum ad res pertinens humanas, alterum ad diuinas. Argumenta autem eorum latius proponere decreui ueluti in tabula depicta præ foribus, ut his lectis uideant literarum studiis dediti, quid ipsis legere expediat, quid contra, & excipiant si quid faciat ad stomachum reliquis prætermissis. Et de humanis quidem principio dicendum, quæ notiora sunt, & prius occurrunt sensibus, postea de diuinis dicere aggrediemur. Primus igitur liber de Principum doctrina scriptus est. Illic doceo (si modo id assequi potui) plurimum rebus humanis conducere Principes urbium esse doctos, imò neminem fungi rectè posse imperio, & dignum se illo ordine præstare, nisi qui disciplinis imbutus sit liberalibus, imitatus auream illam Platonis uocem, qua pronunciauit humanum genus nunquam à cladibus, & calamitatibus quieturum, nisi in urbibus, aut philosophi regnarent, aut Reges philosopharentur, beatas autem illas fore respub. in quibus id contingeret. Quum autem huic uni rei ostendendæ studerem, & hoc præcipuè premerem, tamen digressus sum sæpè ad alia quædam, quæ utilia cognitu, & auditu iucunda, & aptè connecti posse arbitratus sum: quæ siue quis additamenta, siue ornamenta uelit uocare, non repugnabo. Facio autem me loquentem tali de re adhibitis duobus eruditis uiris, quibus in sermone partes suas dedi. Dialogos planè sequutus, quorum morem sapientes uiri ausi sunt è scena in scholas suas transferre. nam Dialogos non tantum leuibus & ludicris, sed seriis quoque & grauibus satisfacere posse rebus existimauerunt, utilitatem cum uoluptate captantes. Hoc opus iam pridem cœptum diu fuit in manibus uariis interpellantibus curis: tandem, Deo benefauente, absolui. Scripsit eodem argumento libellos duos Plutarchus Chæronensis: quorum uno asserit in Principe requiri doctrinam. In altero conuenire philosopho, ut cum Principibus uersetur. Nam hoc ipsum fuisset argumento Principem doctum non esse oportere, si uiri doctrinæ studiosi aditum eius congressumq; uitarent, hoc ut eripperet, alterum libellum priori subiecit. Nihil equidem in hac scriptione mutuatus sum ab illo meis contentus. Dicet aliquis. Quid hunc potius legam, quàm illum? an elegantius loquitur, aut eruditius? difficile est respondere, mihi præsertim, qui nullius scriptis mea præfero. Melius (esto) sit illum legere. Sed quid si uterque legatur? num peius? Nos enim planiores fuimus & uberiores: ille durior & breuior elocutione, & interdum subobscu-

rior: illa sunt uetera, nostra nouitate sua placere possunt, Sed hac in re suo quisque utatur iudicio, & quod uidebitur, id faciat. Nos ad institutum redeamus. Succedit huic operi Oratio, quàm effinxi in funere Francisci Nattæ patruelis. Spem laudaui in optimo adolescente, nam rem uix inuenebam. Dixi tamen de genere, de opibus, de ornatissimis adolescentis moribus, de intentissimo ad optimas artes cursu: de initio magistratuum, spes ampla erat in manibus, ea elapsa est. Itaque Virgilianum illud suppetebat. Si qua fata aspera rumpas. Tu Marcellus eris. Collegi postremo plura, quæ attenuare possunt luctum in morte carissimorum. Nam quòd illic etiam Græcas literas ueluti captata occasione collaudauimus, iure factum iudico, tum propter illius linguæ elegantiam & cultum, uariasq; figuras dicendi, quas nulla industria, nullo ingenio nostri potuerunt æmulari, tum propter multiplicem rerum copiam & doctrinam, qua Græci olim homines abundarunt, cæterosq; referserunt. Quoniam autem duplex celebrandi laudes defuncti ostenditur ratio. Vna in funere: & super ipsum (ut ita dicam) sepulchrum. Altera cadauere iam bumi condito, & iustis omnibus persolutis utroque usus sum in Hieronymo Adurno, quem defiera eius mortemox refero inter diuos, Græci apotheosim, idest deificationem uocant. Nam sic fecisse in Daphnide suo Virgilium recolo: quum enim funus eius satis deflesset, posterius illum in cœlum sustulit, & supra sidera collocauit, ut plus hic gaudii, quàm illic luctus inesset. Fuit hic Princeps, quem laudare aggressus sum, temperatissimi, moderatissimiq; ingenii, & ad res gerendas paratissimi, in Deum & homines caritatis præstantissimæ. Itaque si de quoquam Christianæ religionis alumno bene sperare post mortem possumus, de hoc sperandum est, & existimandum hinc discedentem Beatorum sedibus receptum, unaq; cum Christo & reliquo sanctarum animarum choro triumphare. Hæc est maxima Christiani uiri consolatio in suorum obitu, dum cogitat eos, qui à se discesserunt, cœlos conscendisse, & Deo fruentes maiore uitæ lumine collustrari. Sequitur Oratio domestica in controuersia iudiciali, in qua agnationum causam tueor, plura disputans de lege municipali, qua masculis extantibus filiis, fœminæ nuptæ sed dotatæ ab intestati patrisfamilias successione repelluntur. Cur eam scripserim, quodue præstiterim, non dico latius, quoniam proprio procemio armata est illa Oratio, quo iudicantur omnia. Veteres Oratores non in publicis modo, sed in priuatis quoque iudiciis enituere. Si inerat contentio de testamento, de mutuo, de tutela, de societate, de hæreditate, & reliquis talibus, has illi priuatas controuersias suscipiebant, & modo ab actorum partibus, modo de reorum, (ut uidebatur) stabant, & in his etiam minutis litibus ingenii acumen, & dicendi nitorem ostendebant. Isæus in hoc genere est totus, Lysias plurimum uersatur. Nonnullas super his Orationes confecit Isocrates. Demosthenes plures. De Cicerone notissimum est eum priuatas causas egisse, & de aliis pluribus, quos ille in libello, qui Brutus inscribitur, collegit. Ego unam hanc Orationem iudicialem composui, cui nec in exordiendo defui, nec in constituendo statum causæ, nec in argumentando, nec in contraria refellendo, nec in perorando denique: Sic enim ueteres

Oratores

Oratores fecisse uidebam, & mecum præclarè actum iri arbitrabar, si quorum admirarer ingenia, eorum sequerer uestigia. Adolescens eam conscripsi, sicut alias duas superiores, & fuit uoluptati relegere, quod uidebar in senectute adolescentiam meam reperisse: quanquam florentis illius ætatis plures aliæ sunt Orationes, quas olim emisi, sed non cum his, quarum editionem certis quibusdam rationibus tunc omisi. Iam aduentante senectute duas habui Mantuæ, quas etiam edidi, unam ingrediens magistratum Mantuæ Rotæ, Alteram exiens. Prima sublimior est, & grauior, & excelsior: Illic de iustitia plura dico, altius & ueluti ab origine repetens. Enimuero magistratum capiens, qua de re potius, quam de iustitia loquatur? quæ præ cæteris omnibus illi custodienda, & administranda mandatur, & cuius in ope re uersari assidue debet: hæc hominum uitæ non minus, quam aqua & ignis, necessaria est huius gratia leges conditæ, quæ æquum ius statuerent, magistratus instituti, quorum opera legum præscripta seruarentur, hanc fin xit antiquitas Iouis throno assidere, quasi hoc uno consiliario utatur, & per eum maxima quæque disponat, sed ut hæc uerè se habeant, dicta sunt orationis initio. Deinde commendaui institutionem illius noui magistratus cum summa laude Principum. Secunda est contractior, si materia spectetur. Respondi ei, qui me magistratu abeuntem de more summis laudibus longissima Oratione, firmissimis lateribus, magna in multitudine prouexe rat. Postea ueluti uicem reddens laudanti, & his, qui laudes meas æquis auribus acceperant, urbem illam & ciues iustis extuli præconiis. Harum Orationum editionem libuit repetere, & superiorum choro uno in uolumine aggregare. Postremo procedit loco, & ueluti claudit aciem libellus de Christianorum eloquentia, à me compositus, ut refellerem quorundam inscitiam, qui damnant eos, qui eloquentiæ studiis uacant. An non tunc aduocanda mihi fuit eloquentia ipsa? ut se ipsam defendat illo suo amplissimo ore, quo ueram agens causam omnia prosternere solet. Sed ubi eam inuenirem, nisi in scriptis eloquentium Christianorum? nam de hoc agebatur. Ostendendum igitur fuit uariis inductis exemplis in Christi ecclesia eloquentiæ studia semper floruisse, & ostendisse arbitror, non reiiciens tamen eos, qui neglecto omni Orationis flore possunt de re argutissime dicere, sed alteros præfero, qui utroque pollent, & sententiarum acumine, & uerborum dignitate, qualis Augustinus fuit, & Augustino paulo ætate prouectior Hieronymus, & his multo antiquior Tertullianus, & si qui alii ante uel post eiusdem notæ scriptores fuerunt. Et de humanis quidem rebus ita conscriptos libros habeo, his argumentis, quæ proposui. Superest mox, ut de diuinis in sequentibus disseramus.

MARCI

MARCI ANTONII
NATTAE ASTENSIS
DE PRINCIPVM DOCTRINA LIBRI NOVEM.

PROOEMIVM.

VETERVM quondam Sapientum fuit sententia, homine improbo & iniquo nullam esse feram truculentiorem: truculentissimam autem bestiarum omnium esse Tyrannum, quam sanè sententiam uerissimam esse, non aliunde melius, quam experimentis quotidianis docemur. Nam si quis reputare secum uoluerit & animo euoluere, quæ uiderit ipse, quæ legerit, quæue audierit, inueniet nulla naufragia, nulla incendia, nullas pestes, nullas eluuiones, nullos terremotus, tot humana corpora absumpsisse, tot urbes nationesq; deleuisse, quot bella extinxerũt, quæ libidine dominandi hominibus per homines importantur. Tyrannos uerò quis dubitauerit non summam afferre perniciem rebus humanis? quum uideat id hominum genus in proximos, in longinquos, in suos, in alienos, cædibus, rapinisq; bacchari? nullis parcere, dummodo expleant quodcunque concupiscant. Nulla pestis nocentior, quam ubi infinitæ libidini summa adiuncta est potestas, nam non modo non ueretur, sed etiam appetit lædere: nec rei expediendæ difficultas quicquam moratur. Vnde autem tanta existat libido nocendi, quæri potest: aliis aliud causantibus. Ego quidem existimo, atque adeo iudico inscitiam huius rei esse ducem; non enim illi malè sibi rebusq; suis consulere arbitrantur, dum animo suo morem gerunt deliniti specie præsentium bonorum, nihil in posterum prospicientes, & ignorantes, quam grauem, quanque sanctam sustinere debeant personam, quicunque præsunt regendis urbibus, & temperandis moribus populorum, & quantum conducat non modo his, quos sub se habent, uerum etiam ipsis dominantibus iustè imperare: nam si hoc scirent, idq; penitus animis eorum insideret, non adeo nomini, gloriæ, bonisque suis inuiderent, seu potius hostes essent, ut his contraria molliri uellent, sed premit eos inscitia rectarum artium, ingenuarumque disciplinarum, ita ut præcipites in omnia mala nemine auxiliante ferantur. Etenim quum humanus animus actionum sit suarum dominus, & hæc uel illa possit liberè deligere, & ad quæcunque uelit, sese inflectere: nonne ubi, quod deterius est, delegit, dicetur inscienter delegisse? uel nullum potius esse delectum? quum uerus delectus consistat medius inter duo pluraue forte æqualia uel aliter inter se distantia bona: quorum unum post deliberationem apprehenditur, quodcunque ex illis magis placuerit: non sic, ubi bonum est unum, malum alterum, nam si tunc malum apprehenditur, nullo dicetur apprehensum delectu, sed stupore mentis uel inscitia potius singulari.

Non

Non enim appetitus est mali, nisi ut fugiatur: Sin autem, ut bonum apparens capitur, manifestum est deceptionem illic ignorationemque uersari. Vituperanda igitur inscitia est, & laudanda doctrina: quæ si gloriosa est in priuatis, quanto clarius in Principibus elucebit? Nota est Platonis uox prædicantis. Beatas illas fore respublicas, ubi Philosophi regnarent, uel Reges philosopharentur, in quam sententiam ierunt posteriores, quicunque de legibus, de republica, de regno, de iustitia, de temperantia, deque aliis uirtutibus ad morum sanctitatem spectantibus scripserunt: non enim illa oblectandi ocii gratia scripserunt, sed ut monerent, erudirent, docerent: non illi summas potestates contempserunt, easque temere in quælibet ferri uoluerunt. Illud indicat, quod priuatim quoque summis Regibus & Principibus præcepta cohortationesque per epistolas aut libellos misserunt. Illud porrò est deridendum, si existimet quispiam maximas res sine doctrina tractari posse, quum ne minima quidem sine ea rectè ualeant administrari. Interrogatus Aristoteles quantum docti differant ab indoctis, quantum (inquit) à mortuis uiuentes: tantum ille tribuit doctrinæ, ut sine ea uitam nostram nullam esse duceret. Eodem tendit Biantis dictum, qui interrogatus, quantum differat prudentia à reliquis uirtutibus, quantum (inquit) uisus à reliquis sensibus. At sunt, qui existimant doctrinam Regibus & urbium prouinciarumque dominis non conuenire turpissimo errore. Nam quum naturalis sit amor libertatis, magnum est efficere, ut quis alteri seruiat libenter. Nullum Animal homine contumacius, arrogantius insidiosius, ideo non aliud maiori arte tractari debet, artem autem præceptis doctrinæ constare fatendum est. Præterea, quum superior ille locus tributus sit Principibus, ut reip. consulant & utilitatibus populorum: nonne res ipsa clamat sine doctrina, & maxima quidem doctrina id perfectè cumulateq; effici non posse? Verum quoniam de his latius colloquutus sum cum Io. Baptista Natta fratre germano, & Alberto Carreto sororis patruelis filio, decreui collocutionem illam totam literis mandare: qua in re non existimo officium hoc meum scribendi ab aliquo culpari posse, quoniam non alio respiciens scribo, quam ut prosim hominibus, quoquo modo possim. Non ego ab ineunte ætate pilis, gladiis, castris, aut aliis militaribus studiis me tradidi. Literas sequutus sum, ingenia ueterum sapientum tractaui, & curæ fuit discere nonnulla, quæ illi in publicum usum protulerunt, & nota omnibus esse uoluerunt: Scribendi etiam aliquid me tenuit solicitudo. Quamobrem si hac de re dicendum est aliquid, dicam cum Peligno poeta.

Hæc mea militia est, gerimus, quæ possumus, arma.
Dextraq; non omni munere nostra uacat.

Neque uero profiteor me nouarum rerum inuentorem: satis habeo si uetera quædam cultu orationis reddere blandiora, uel collectione dispersorum uberiora efficere possum. Sed iam ad collocutionem ipsam ueniendum, quam ita exponam, quemadmodum ultro citroque commeauit ternis personis ueluti in scena introductis. Hæc sententiam plenius meam, quam de doctrina Principum teneo, plenius explicabit.

MARCI ANTONII
NATTAE ASTENSIS,
DE PRINCIPVM DOCTRINA
LIBER PRIMVS.

DIALOGI PERSONÆ.

Albertus Carretus Io. Baptista, & Marcus Natta fratres.

MARCVS.

LVCVS hic ſanè denſus & aſper, poterit nos commodè, ut opinor, à merediano ſolis feruore nunc protegere. Videtis quàm ſuauis iſte ſit & amænus locus, hinc uiride ſpectamus ſolum. illinc uariis depictum florum coloribus, inde riuulum argenteis laſciuientem undis, & ueluti per læta fugientem gramina, harum autem arborum in quincuncem directarum frondentibus comis nihil poteſt eſſe feſtiuius. Itaque (ſi libet) hac ſub arbore quieſcamus, æſtus uitandi gratia. Ego hic nobis cœnulam parari conſtitui, nam iuſſi obſonium huc afferri, eo quos & miniſtros cum uaſculis ſequi. ALBER. Amænus ſanè, (ut dixti) Marce locus. Ego talem agrum his in regionibus non expectabam. MAR. Naturæ hæc ſunt opera Alberte ingenua. Illa uero, quæ miramur in urbibus, marmorea pauimenta, aurata lacunaria, & fulgentibus obductos cruſtis parietes, hæc cedent omnia ueluti aſcitia quædam his genuinis naturæ delitiis. Nunquam ſtudia noſtra atque artes uincent naturam, ſeu potius naturæ omnis artificem, qui omni æuo, omniq; ſapientia prior, ſpontè, quod melius erat, delegit, eoque nos donauit, nec inuidit tamen, ſi humana induſtria illius opera imitari uellet, imò ut imitaretur dedit. Verum ubi ea uenerint in contentionem cum alteris, tam facile ſuperantur, quam ficta à ueris ſuperari ſolent. ALBER. Scio, & te de his quandoque ſcripſiſſe memini. Eſtque de his etiam apud ueteres hebræorum interpretes, quos illi Talmudiſtas uocant, multus ſermo, dum hac ratione omnium naturalium rerum opificem Deum commendare ſtudent. MAR. Oportune Alberte à te illata eſt mentio de hebræis. Nam uerum eſt profecto, quod olim audieram te hebraicas literas didiciſſe ſub idoneis præceptoribus. Allatum eſt te adeo in appellatione harum literarum & cognitione earundem excellere, ut parem ex illa gente habeas fortaſſe aliquem, ſuperiorem certè neminem, quæ prouincia, quam ſit difficilis, teſtatur Hieronymus, dum ſe ſæpius tentaſſe, ſæpius conatus ſuos abieciſſe, & quandoque de uictoria deſperaſſe ſcribit, & tandem per immenſum laborum pelagus uolutatum uoti compotem redditum, & de amara radice dulcia poma decerpere. Tu uero adhuc iuuenis ſucciſiuis (ut aiunt) horis huic uacans cogitationi, adeo omnes euiciſti difficultates, ut te ſummi etiam illi hebræorum magiſtri dicentem

ad-

admirentur. ALBER. Dicam tibi Marce, ut res habet. Ego hebraicæ lin guæ studio semper flagraui, qua & Dominum Iesum, & sanctissimam eius genitricem Mariam, & Apostolos denique omnes loquutos accepimus, & qua ueteris legis arcana prodita sunt. Nec ulla mihi eius rei melior effulsit occasio, quam Mantuæ, quo profectus, dum aulæ inseruio, nactus sum magistros, quales optabam, & quamuis multis interim premerer incommo dis, nullum tamen mihi elabi patiebar diem, quin cum eis aliquid ad illarũ literarum disciplinarum pertinens commentarer. Itaq; quantum in his profecerim, aliorum sit iudicium. Me certè nunquam huius uoluntatis meæ pœnituit. MAR. Rectissime tu quidem Alberte, qui & si summo natus es loco, maiorumque stemmate fulgeas, atque opibus inter nostrates abundes, tu tamen his & talibus fortunæ bonis literarum studia anteponis. Sed ut tu laudandus, qui hæc insequeris, ita uituperandos duco nonnullos Reges & Principes ciuitatum, qui literis non modo non uacant, sed eas omni no reiiciunt & contemnunt. ALBER. Velim Marce, postquam delapsus es huc sermone, ut uituperandos ducas Principes ciuitatum, qui literas reiiciunt & contemnunt, liberet tibi hac de re latius aliquid disserere, altus adhuc dies, qui otiosus erit, si fuerit ociosus. Dictum est antiquitus. Comes facundus in uia, pro uehiculo est. At in sessione Comes facundus pro ludis fuerit & spectaculis. Materiam uides propositam facilem ualdè & explicatam: in qua non tu modo, qui eloquentia polles, sed quiuis rudis & impolitus possit esse disertus. MAR. Faciam, quod te uelle uideo Alberte, modo idem fratri placeat. Non enim inter uiros tam arcta sanguinis necessitudine coniunctos decet excusando aut dissimulando tempus terere, quin quicquid possis id confestim præstes. Equidem non solum ingenio tuo Alberte, quod in te præstans & excellens est, affici debeo, uerum etiam cognatione. Nam qui tibi auus maternus, idem mihi patruus fuit, & quam tu matrem, ego sororem patruelem uocabam, itaque quolibet impelli possum, uel solo tuo digito. Specto tamen (ut dixi) Baptistam, & attendo quid uelit. BAPT. Mihi quoque idem, quod Alberto placuit, probatur, iam diu est, quòd nihil tuorum uidi aut legi. Itaque nunc iuuabit audire loquentem: quanquam autem Albertus dixerit materiam esse facilem & explicatam, diligentius tamen censeo disserendum ob sententiarum dissonantiam. Non enim pauci sunt, qui putant Principibus uiris indecoram esse in literis moram, hanc sacerdotibus tantum & Iurisconsultis aptarunt. ALBER. Non mentiris Baptista, ego id quotidie experior, & uehementius expertus sum antea: non enim externi tantum, sed quidam etiam ex affinium & amicorum numero à literarum studiis abducere conati sunt, præsertim ubi ad hebraicarum literarum cognitionem deflexi, quos ego tamen omnes con stantissimè repuli, & in sententia permansi. MAR. Non me latet hæc opinionum diuersitas, & eam sum sæpius detestatus. ALBER. Iam palàm est Marce te de his rebus aliquando cogitauisse. MAR. Cogitaui equidem, sed non sine ira & indignatione, & magno animi motu. ALBER. Dic quæso, quid te commouerit? MAR. Quum propositum est utrum oporteat uiros Principes, qui imperio, potentia, diuitiis florent, grauiorum stu

dia disciplinarum & ingenuarum artium literas sectari: & ideo hominum inter se dissentire sententias, aliis id præclarum uel necessarium potius censentibus, aliis minime, fieri non potest quin uehementissimè perturber, quoniam in eo quod utilitatem fert omnibus, omnes consentire oporteret, non autem alios sic, alios aliud putare. Vtile autem dico esse omnibus Principes esse doctos, & cunctis bonis artibus abundare, quandoquidem publicam illi sustinent, non priuatam personam, quod si utile idest omnibus, ergo utile quoque his, qui dissentiunt, sienique id negligunt: non enim tam stulti sunt, ut eximant se de omnium numero; sic fit, ut illi non utilitatem modo communem, sed propriam quoque sententia sua conuellant. Quod si improuidè id faciunt, monendi: si studiosè, corrigendi: si pertinaciter, relinquendi. Sed uiderint ipsi quid agant, & quo sententiam suam referant. Ego quod falsa sit penitus noui, sed si uera esset, effecisset, ut me in tenui humilique fortuna natum atque educatum minus molestè ferrem, quoniam quibusuis Imperiis, opibus, honoribus literas, quibus uacaui, & assidue uaco, præstantiores duco. Sed num intelligunt Alberte, qui literis carent, se pulcherrimo & præstantissimo Dei munere carere? ALBER. Ego intelligere non puto, nam si intelligerent, tam supinè non errarent. MAR. Ergo fingamus nobis hos adesse, & ueluti ignaros, uel non studiosè errantes doceamus, & in uiam ueritatis dirigamus, atque ita ipsos alloquamur. ALBER. Sic uidetur faciendum. MAR. O uiri optimi, quid uenit uobis in mentem literas contemnere & reiicere, ignorantes quantum id sit Dei munus, & quam oportunè mortalibus concessum. Nam si in homine animantium omnium speciosissimo id præcipuè elucet, quod cogitationes mentis uoce aperire & promere queat, partem laudis huius & dignitatis ferunt literæ, quibus consiliorum & inuentorum nostrorum significationem tradere possumus, non præsentibus tantum, sed etiam absentibus, nec natis modo hominibus, uerum etiam nascituris. Hæc uox, quæ cum aere effluit uerberato, præstare nequit. Quid ea pars humani animi, qua meminimus, nonne subsidium à literis aduersus obliuionem petiuit? quam multa nos fugissent cognitione dignissima, nisi uinculo literarum iniecto custodirentur, & sub potestate mentis assiduè tenerentur? Quid porrò præstabilius, quam omnium retro excellentissimorum ingeniorum compotes fieri, nam cogitationes doctissimorum quorumcunque literis insculptas perinde noscimus, ac si cum diuinis illis uiris uiuere & familiariter colloqui licuisset. Sic artes omnes, à paruis primum initiis progressæ, addentibus multis ad ea, quæ antiquitus acceperant, & addita rursus scribendo ad posteros transmittentibus, adiutæ sunt copia & dignitate inuentorum, & in summam tandem profecerunt, & quomodo scriptorum beneficio illustratæ & auctæ fuerunt, sic etiam incolumes manserunt. Gratissimum est nominis nostri memoriam transfundi in uenientia secula cum gloria, nemo scribat aliquid, & perpetuum sit in literis silentium, pari fere spacio fama hominum, quo uita finietur, & frustra tantam cupiditatem diuturni nominis humanis pectoribus natura infuderit. Quid hominum dixi sine literis ignotissima fore nomina? imò ne montium quidem, fluminum, urbium, regionum

num notitia ulla longius penetrabit. Sunt igitur literæ uocum uincula, mentium indicia, memoriæ subsidium, gestorum uita, artium custodia, disciplinarum receptaculum, famæ sedes. Quamobrem literarum quæso notitiam capite, & multa illic posita ne pigeat didicisse, quæ magno postmodum usui futura sunt uobis & ornamento. Hæc ad illos mea esset oratio, qua si commouerentur, non tam mihimet, qui suasissem, quam ipsis, quod suasi essent, gratularer. Non enim qui recta suadet, efficitur melior, sed qui suadetur. ALB. Verè nunc à te, nec eleganter minus laudatæ literæ, de quarum dignitate, fructu, robore, & utilitate, tanta dixisti. Itaque quemlibet hæc tua commouere possent, sed hæc adhortatio non magis est ad Reges & alios summates uiros, qui clauo præsident ciuitatum, quam ad rudes quoscunque & imperitos. Ego illos magis urgendos proprijs censeo argumentis, quàm communibus, nam sic eos magis commoueris, si modo ad illorum aures hæc tua unquam perueniet oratio, & maiori id etiam tibi fuerit gloriæ: nam propria communibus omissis adducere intelligentis est uiri, & maiorem hæc fructum perfecta, quam illa afferunt. MAR. Vis me Alberte (ut audio) declamare aduersus Principes, qui literas nesciunt, uel potius negligunt, nec uereris me inimicitiæ potentium obijcere, qui forsitan ipsorum imperitiam à me lacessitam ferent molestissimè, sed faciendum est, quandoquidem pollicitus sum. Dura sanè hæc pro uincia, non ad dicendum, sed ad cogitandum, qui nam hi, contra quos dicas. Vnum tamen illud me non parum consolatur, quod non adsunt: nam si adessent, me forsitan purpuræ fulgor, uirorum & equorum strepitus, & circunfusum Satellitium armis stipatum fulgentibus, omnis denique illa pompa & apparatus adeo terrerent, ut uix possem cogitata proferre. Graue est apud magnam potestatem dicere, etiam quum ueneris ea dicturus, quæ nullam auribus molestiam allatura sunt, at quum inimica & inuisa habenda sit oratio, num potest liberè & uehementer is dicere; qui cogitat se displicere, & de se ipso præterea aliquid ueretur. Ergo optimè nunc contigit, quod neminem eorum uideo, facilior nanque mihi in absentes fuerit declamatio. A'communibus autem ad istorum propria transire nihil est negocij. Nam si honestum & præclarum scire & tenere quæcunque perennibus literarum monumentis sunt consignata, liceat hæc etiam Principibus didicisse: sin turpe & indecorum, ne priuati quidem illa condiscant. Leuia & insulsa scripta licet contemnere, uel irridere, sed egregia quæque uolumina plena prudentiæ uocibus, ut contemnant, & pro nihilo habeant, quo tegio uel potius tyrannico iure id sibi assumunt? Scripserunt Plato, Isocrates, Aristoteles de rep. de legibus, de institutis, moribus, disciplinisque ciuitatum, docuerunt, qui esset optimus reip. status, qualis esse deberet, qui in illa futurus esset Princeps. Hoc amplius Theophrastus, quæ essent in rep. inclinationes rerum, momenta temporum, quæue tunc moderatio tenenda, Quæ consilia per illos ad summos uiros? quæ cohortationes? quæ monita emanauerunt? nullus denique ciuilis locus non ab his penitè diligenterque tractatus. Eodem in curriculo uersati sunt & nostris plures sancti & religiosi uiri, doctrina omni pollentes, qui certiora etiam plura

& ueriora e facris literis haufta promere potuerunt. Vtrum igitur remigibus illa fcripta effe dicemus? an his qui ad gubernacula & clauum ciuitatum federe folent? Xenophon ille Socraticus fub Cyri perfona Regis optimi naturam, mores, uictum, cultumque defcripfit, quæ fi in regno pofitus, uel qui mox Rex futurus eft, non modo non tenebit, fed etiam negliget, quid eft aliud, quam in artificio proprio negligens effe, & peccare uelle? Plutarchus, qui ob multimodam rerum cognitionem dictus eft omni fcius, fcripfit plena & folerti manu, qua nota uerus amicus internofcatur à non uero, illam leuem ac futilem beluam, cui nomen affentator, alienis coloribus adornatam idest fub amici perfona latentem ac fallentem retexit: quid porrò Principibus hac lectione magis neceffarium? qua cauerent, ne inanibus amicitiæ fimulacris caperentur, neu affentatorum uocibus in uicia inducerentur. Nam cum omnia peffimis affentatoribus referta, tum aulæ præcipuè Principum iftis peftibus oneratæ funt, nec ulla magis quam publica fluenta uitiari uidemus adulationum uenenis. Quærimur de gladiorum, famis, & morborum iniuria humanum genus peruadentium, quum tamen adulatorum lingua, quæ æquitatis normam principali faftigio inflexit, omnibus peftibus nocentior multo & exacerbior fit. Scimus quod quo maiores Regiæ opes, eo plures infidiatores alunt, qui igitur modus, ut fe captantibus auferant Principes, nifi ut oculos doctrinæ affumentes ueram amicitiam à fimulata internofcant? Quid hiftoria ipfa, quàm utilis? quam dulcis? quam mouens animum exemplis geftorum propofitis & ante oculos penè depictis? fenum utile confilium, quia plurium annorum ufu multa edocti uidentur. Hiftoria uero innumerabilia fecula complectens longæuæ ætatis ufum mortalibus affert: Hanc fi ignorabit regnator, quanluis ætate multum procefferit, puer femper habebitur, quod nihil fciat, nifi quæ oculis uiderit, & unius tantum ætatis, & eius perbreuis facta tantum norit. Denique quum ueræ & eruditæ literæ ad quærendum laudem pectus inflamment, à dedecore retrahant, quum inftruant fcientia, arment eloquio, quo quifque in altiori faftigio pofitus plurimorum commoda, utilitatem fpeculari neceffe habet & tueri, eò magis in illas incumbere oporteret. Etenim rectum populorum regimen neceffe eft conftet, aut arte, aut natura, aut cafu. At cafu nemo dixerit conftare rem, quæ longè maximam & exactiffimam requirit fapientiam, ac ne natura quidem nam fic quiuis rectè regeret. Relinquitur igitur, ut arte conftet, quam ifti nunquam didicerunt nec tenuerunt, ergo rectum ipforum regimen non fuit nec erit. Quam ftultum effet fi Gubernator nauis neminem putet remigem effe oportere, nifi qui antea remigare didicerit, credat autem fe ipfum nauem regere poffe nulla percepta fcientia? At hæc quod tam egregiè ftultum eft, faciunt ifti Principes, nam neminem equis præficiunt, nifi quem antea perfpexerint equorum curam didiciffe. Nulli ægrotam familiam committunt, nifi ei, qui medendi polleat artificio: Si ædificandum eft aliquid, nemini id munus imponunt, nifi ei, quem norint ædificandi difciplinam affequutum. Ipfi autem exiftimant rectè fe poffe gubernare populos & tantam rerum molem fuftinere, quum quomodo id fieri

ri possit, nec ipsi per se inuenerint, nec ab aliis didicerint. At licet rudes ipsi & ignari, adhibent tamen sibi in consilio delectos & peritos uiros, ad quos singulis de rebus referant, quasi uero non isti sint, qui Principes deprauare soleant, & eorum cupiditatibus indulgere, & optimum sit regi & non regere, uel parum intersit utrum à mercenariis grex an à pastore custodiatur, & in eo tamen, quod afferunt scientes sibi ipsis adhibere uiros, fatentur scientiam in Regibus necessariam. Cur igitur hanc non adipiscuntur ipsi? uitant scilicet laborem studiorum & disciplinarum comitem, alienis oculis, alienis etiam auribus utuntur, & ueluti per interpretes hominibus eiusdem linguæ consortibus respondent. At exercentur equis, uenatione que, & aucupio delectantur, & nonnunquam amatoriis leuitatibus deditiocium terunt, noctesque anilibus in fabellis, & inter mulieres choreas & uina in lucem producunt, quæ nemo regia duceret, sed partim mili taria sunt munera, partim neququam hominum affectus & uitiosorum. Mihi nemo corpus uoluptatis studio exerceat, sed ob ualetudinem tuendam, uel augendum robur, quanto autem magis hominis animus liberalibus artibus uegetior firmiorque reddendus? Qualis autem est hæc sententia? putare in officio esse Principem, si montes lustrarit, ac saltus petagrarit uenando? si uenabulo, canibus, laqueis feras insequutus cœperit, ceciderit, prostrarit? quod quum audio dici, atque adeo fieri, & si clemens esse cupio, subirascor tamen aliquando, & exclamare cogor, ut est apud Flaccum.

Proh superi, inuersique mores.

Quid enim fœdius, quid inuersum magis dici potest, quam hominem præstantissimum animantium omnium, quæ natura genuisset, putare se tunc aliquid fecisse, si bestiis mutis & irrationalibus iuuentus sit feritate maior, atque id magnum putare in Principe, tanquam syluis stabulisque fera rum præpositus esset, ac non moderandis urbibus et hominum moribus præsideret. Sit tanta in Principe uis, ut feras quascunque conficiat manu cominus, uel eminus sagittis. Est ne hoc, quod de eo expectabatur certamen? minime, sed aliud quoddam præstans atque præclarum quod aduersus homines debet suscipere, ut scilicet doctos superet ipse doctrina, temperatos continentia, iustos æquitate, liberales munificentia, multosque di sertos ubertate copiaque dicendi: Istud est certamen uere Principe dignum. Nam armata manu beluarum comprimere ferociam, uel astu rationis natiuam earundem circunuenire calliditatem, non admodum magnum uidetur. Si igitur mortales reliquos, quibus forma par est, uirtute animi superarit, dignissimus habebitur, qui cunctis imperet. Sin superare feras contendat, ui, armis, dolo, eo ne ferox est, quia imperium habet in beluas, ut ait Comicus? certe non uideo cur hominibus imperare debeat, quum ho mines quibuslibet feris superiores sint, ipse autem se ad uirtutem ferarum deiecerit. Videmus in urbibus, si qui sunt, qui corpora exerceant, sicuti fabri sunt, tignarii, nauicularii, agricolæ, milites, mercatores, his præfici eos, qui ingenio, literis, doctrina, prudentia pollent: quali igitur uirtute, qua prudentia, quanto ingenio pollere is debet, qui doctis quibuscunque, prudentibus, ingeniosisque præsidet? Enimuero summa rerum illi com-

ſa eſt, iudicat ille de omnibus, nemo de illo ſupremum tenet dignitatis api cem, quo nihil humani oculi uident excelſius, quomodo igitur ſi refertat ſe ad corporis exercitationem, cultum, uoluptatem, neglecta animi cura, iure ſupremum obtinebit faſtigium, ſi infimis digna ordinibus tractat, ac non contendat, ut Principem teneat in omni animi uirtute locum? Ita enim rectè & ordine ſuberunt illi cuncta, ſi animo ſuo bene diuite & excelſo cætera longè inferiora ſpectabit. Sin autem aliter accidit, non illum imperij inſignia ornauerint, ſed ille imperii ornamenta turbauerit. Fuit in Nerone ingens muſicæ aurigationiſque ſtudium. Fuit in Commodo maxima ſagittandi peritia, qua ſingulis ictibus, ſingulas feras conficiebat. Fuit in Maximino immenſa corporis magnitudo, uaſtiſſimum robur, ita ut quinos, ſenos, ſeprenos colluctando unus proſterneret, quid hæc imperio, aut etiam ipſis impetantibus profuerunt? profuerunt dico? imo ridiculoſos ſe præſtiterunt, turpiter uixetunt, & fœde perierunt. Quid profuiſſet Mario, ſi diutius imperaſſet (nam triduo tantum impetaſſe dicitur in Galliis) quod nullius manus ad feriendum, uel ad impellendum fuerunt ualidiores, ita, ut in digitis non uenas, ſed neruos uideretur habuiſſe: nam & plauſtra contra ſe uenientia digito ſalutari repuliſſe dicitur, & fortiſſimos quoſque uno digito ſic affixiſſe, ut quaſi ligni uel ferri obtuſioris ictu percuſſi dolerent, multa etiam duorum digitorum colliſione fertur contriuiſſe, proſunt uires corporis, ut fortius pugnetur, non ut melius imperetur. Rectè autem exiſtimauerunt quidam oportere eos, qui rerum dominantur, rantum differre à reliquis mortalibus, quantum olim differre uiſi ſunt hi, qui ob excellentiam uirtutis & præclara in humanum genus merita du habiti ſunt, uel heroes nuncupati. Et in apum quidem examine tale quid fit. Nam Reges longè forma corporis alias antecedunt. Sed num inter homines iſti tantum uirtutis præſtantiam de uenatione & aucupio aſſequi ſe poſſe confidunt? Reges quodcunque optimum penes ſubditos uident de fortunæ copus, ſtudent in eo omnibus præſtare. Itaque uideas eos auro, argento, gemmis, equitatu, ſeruitio, ueſtibus, ædificiis, demum prætioſiſſimis quibuſque abundare, ita ut nemo ſubditorum in talibus ſe illis æquare poſſit, ſed longe ſit inferior. Cur non etiam ſtudeant cunctis in ſapientiæ ſtudio antecellere? quo nullus theſaurus pretioſior, aut Deo gratior, aut ipſis etiam imperantibus utilior. Alii autem quidam (de Principibus loquor) egregia quæque uolumina uariarum gentium & linguarum ad multa millia unum in locum diligentiſſime perquiſita contulerunt, quæ auro etiam & argento multo ornarunt. Non reprehendo, quin laudo potius, fateor id fieri nobilitate animi, magnitudine etiam pecuniæ. Attamen Regium magis ac nobile dico libros intelligere, quam colligere, & paginarum ſenſus, quam ſenſuum paginas tenere, quid enim libris pretium facit? ſententiæ, quæ ab ea parte, quæ in nobis diuina eſt, etutæ diuinum etiam quiddam recinunt, non igitur beatus erit, qui ſtudia multorum parietibus incluſerit, ſed qui præclara dogmata, propter quæ ſtudiis accedit auctoritas, pectore ſuo collocarit. Gloriæ etiam ſibi fore ducunt Principes, ubi doctos nonnullos iuuerint, promouerint, auxerint, rectè id quidem, ſed & illos doctrina pariter fulgere

fulgere uellem. Nam illud quantulum est sustentare opibus labentem pauperrate ingeniosum uirum? Vlmus impomifera est & infœcunda, nullos fructus edit, at uitem sustiner purpureas uuas fundentum, nunquam tamen agricola ulmum magis, quam uitem laudabit, nec ulmi, sed uitis repertori diuini olim honores institui. Sic non tam spectatur quid in altero sustentes, quam quid ipse ferre possis. Videmus alios Principes statuas ex ebore uel marmore ductas mirari, præsertum si uetustæ sint, quod maior illis artifici & nobilitatis aura aspiret: alios etiam nobilium pictorum opera delectant? Cur non etiam clarissima scriptorum monumenta inspexerint? quibus non solùm formæ rerum, quæ uidentur, sed & hæ, quæ animis tantum cernuntur, & animis geruntur, mirùm in modum sculptæ depictæque sunt. An oculis tantum ad spectandum Principes, animo uero nullo modo utuntur? Nonne multiplex rerum cognitio ad scriptorum tractationem trahere illos deberet? quam nullæ pictorum fictorumque officinæ præstare possunt? quod si uolupras quæritur, an non bono lumine fulget elaborata oratio? an non uarios habet illa gestus & colores? quibus illi rebus in effigie corporum contemplanda tantum capiuntur. Imitentur sanè ignobiles hos artifices, quos diligunt. Illi enim tam perfectè munus eorum non obirent, nisi literas de illo artificio à superioribus perscriptas tractauissent, simi liter fiat, & à uobis Principes. Accedite ad literas has, quibus rerumpub. moderatio, & officiorum omnium præscriptio continetur, quis enim dicere audeat ueteres homines pingendi fingendique artem literis tradidisse, regendi uero populos nullam reliquisse? Multa extant præclara epigrammata in horum nobilium artificum opera, ueluti in uenerem anadyomenen Apellis, in Mironis bucculam, in Alessandrum Lysippi, in Doryphorum Polycleti, & hæc apud Græcos frequentissimum est inuenire, sunt etiam latina quædam huiusmodi uelutii illud de piscibus penes Martialem.

Artis Phidiacæ toreuma clarum.
Pisces aspicis, adde aquam, natabunt. Item illud eiusdem de lacerta
Inserta phialæ mentoris manu ducta
Lacerta uiuit, & timetur argentum.

Credo quod istos Principes delectarent hæc carmina, quibus hæc opera ficta cœlataque ingeniosè commendantur. Quid si uiderent ea scriptorum monumenta, quibus non corporum, sed animorum exprimitur effigies po litissimè & eruditissime cum omni suo decore & pulchritudine, nonne multo magis illis tenerentur? præsertim quum ex his colligerent, unde ipsi se exercere laudabiliter, & multitudini utiliter prospicere ualerent. O præclarum cognomentum, quod non poetæ modo & oratores, sed quod longe est clarius, sacri scriptores in terrarum rectores contulerunt. Etenim excellentissimum illud nomen, quo suprema, æterna, Opifexque natura appellatur, cum illis communicauerunt, Deum uocant, quencunque, qui populos regendi & iudicandi ius accepert. Nam illic ad Mosem populi ducem dictum est. Ego te dedi Deum Pharaoni: & præceptum illud. Dijs tuis non dertahes, ad Principes refertur, & in quæstione furti eundem esse ad Deos statuitur. Item illud Psalmographi. Deus stetit in concilio Deorum, in medio

medio autem Deos diiudicat, ostenditur de Principibus futurum Dei iudicium, quos Deorum nuncupat nomine. Ergo principes sunt Dii nuncupantibus ita illos diuinis literis, quæ non iccircò tanto illos donarunt nomine, ut ignorantia rerum & cæcitate teneantur, quum Deus ipse, cuius exemplo formare mentes debuerunt, summè sapiens sit. Si hæc, quæ cernimus æthereis in oris sidera clarissimis flammis micantia, speciem quandam diuini simulacri mortalibus exhibere ueteres putauerunt, tum ob lucem, tum quod ab illis erga hæc inferiora profluunt magna quædam & præclara bona, quanto uerius effigiem Dei referunt Principes imperii luce fulgentes: iussi ab eo non corporibus tantum, sed animis quoque hominum optima quæque & salutifera dispensare. Sed quomodo dispensare poterunt si quod optimum & salutiferum est, non nouerunt mendaci specie bonorum capti atque delusi? Nempe multitudinem imperitam conuenit ab uno regi oportere, a quo? an ab imperito? Ergo imperitus imperitos ducet, quod tam absurdum est, quam si cæcus cæcis ducatum præbeat. Ostendent illi forsitan se sine ulla literarum doctrina tanto oneri ferendo idoneos. Vtinam id possint, sed quicunque perspexerint & mores eorum, qui regunt, & eorum, qui reguntur, facile intelliget omnia in cæca nocte uersari. De hoc & si iam multa sint dicta, accuratius adhuc aliquid disserendum uenit. Constat nanque reip. administrandæ ius tripliciter esse diuisum: aut enim populo competit, aut optimatibus, aut soli Principi. Dicetur autem planius, si hoc idē tractetur & distinguatur numero, quod ternos scilicet respublicæ habeant Rectores, nam aut eas regit omnis multitudo ciuium, aut pars eorum quædam, siue secundum genus, siue opes siue, quemlibet alium modum: aut unus tantum, qui græce monarcha, latine rex nuncupatur, nec refert utrum magna uel parua sit resp. rem enim spectamus nunc non quantitatem, quemadmodum quum album consideratur, nihil refert, quantum sit: nam paruum tam album est, quam magnum, sicut nec scapha differt à naui genere, sed mediocritate. At in qua harum rerumpublicarum degendum, si libera sit optio, quæri solet, & constat quod in ea, quæ optimè gubernatur: nec sanè difficile est cognoscere, quæ nam sit ea, nam consensu omnium censetur esse regia: Rex autem suam optime gubernat remp. si modo uerus Rex: plures autem non tam bene hanc sustinent functionem. Hinc quum omnium sit optima regia administratio, sequitur ut huic opposita Tyrannis omnium sit deterrima: pessimum igitur sub Tyranno degere, sicut optimū sub rege, nam illa secunda optimatium respublica, & quæ est tertia popularis status, et si improbè regantur, leuius tamen nocere solent ob potestatem in plures effusam, discerpta enim uis minus uehemens, quam conglobata, nec facilè extremæ improbitatis exempla edit multitudo. Quum igitur tantum intersit utrum unus ille moderator rectè an secus id agat, quantum interesse potest inter pacatam & tranquillam & planè fœlicem subditorum uitam, & huic dissimilem aliam tristem & inquietam, nimirum si cupiam eū, qui huic muneri solus præsidet, uirtute omni excellere, in primisque doctrina omni abundare, quo facilius, quæ ad eum attinent, perficiat, quod fieri sanè potest. Vnus enim tantum instruendus est, nam ubi optimates regūt

aut populus, stultum esset in omnibus tantam doctrinæ facultatem exquirere: eaque ratione fit, ut harum duarum rerumpublicarum administratio regiæ postponatur, propterea quòd facilius sit unum omni uirtute instructum reperire, quàm plures, deinde inter plures facile seditio concitatur, quæ uni ad se ipsum esse non potest. Hæc sunt, quibus arbitror Principem doctrina optimarum artium instructum ad regimen accedere oportere, & plura alia suppetunt, sed teneo me, quia uideris Alberte uelle de his aliquid proloqui. Num hæc forsitan contemnis, & ipse aliud sentis?

MARCI ANTONII
NATTAE ASTENSIS,
DE PRINCIPVM DOCTRINA
LIBER SECVNDVS.

ALBERTVS.

NIHIL hotum Marce. Quis enim uel mediocri prudentia præditus, hæc possit contemnere, ac non rectè possit existimare? Verunramen isti Principes, quorum animus uel adesidia uel à libidine est corruptus, ubi audiuerint te tam acriter in eos inuectum, quod uenationibus uacent, aucupiis, & choreis, & amoribus, & huiusmodi seruilibus uoluptatibus, respondeant forsitan irati, ut te ulciscantur. Quid ergo (inquient) nos facere oportet? Num suades eburneam sellam in bibliothecam transferre? ibique cum regali purpura sceptroque totos dies noctesque assidere? & libris negocium facessere? modo hos, modo illos uoluentes, more Sophistarum, quasi nihil aliud nobis in uita gerendum sit. Tua hæc sit potius uita. Nos cæteris imperamus, nec ullis seruitutis uinculis uitam nostram astringere debemus. Hæc illi fortasse dixerint irato animo. Nos autem, quibus curæ est ueritas, non quo quicquam animo dicatur, inspicere oportet, sed num in sermone insit aliquid, quod discuti & examinari debeat diligenter: ut nunc accidit. Nam ex istorum sermone quilibet prudens eo feratur, ut disquirendum putet, si Principes oportet magnarum artium doctrina esse instructos, quod tempus illis relinquatur, non dico uenandi, aut moribus suis indulgendi, sed ipsos regendi populos. Non enim magnæ disciplinæ subito perdisci possunt, sed longo uix tempore percipiuntur. Tu autem Principes uis omnes doctos doctrina omni superare. Id quam difficile sit, te non latet. Summa autem conclusionis huius, hæc est, quod explicandum tibi est, quam doctrinam, & quantam haurire eos uelis: si leuem dixeris, facile errabunt, & melius nunc fuerit se aliis scientibus committere. Sin magnam, longa opus fuerit exercitatione, & infinito labore, & uacuum tunc illis nullum relinquetur tempus, quo res respicere ualeant.

populorum. Sic conficitur nulla Principes doctrina imbutos esse oportere. Hæc quomodo se habeant, discutienda sunt, ne ullus dubitationis scrupulus in causa relinquatur. Nosti ex Rhætorum præceptis in omni causa diligentius inspicienda esse, quæ nocent, quam quæ prosunt, nam quæ prosunt facile occurrunt, unum autem, quod noceat, nisi fuerit animaduersum & diligenter repulsum, rem totam bene institutam sæpius euertit. MAR. Eleganter tu quidem hæc, ut omnia Alberte, quibus rem, quæ certa uidebatur, uideris nunc ipse in ambiguum deducere discrimen.

Et uirtute tua facta est uictoria nutans.

Nam neque in regentibus leuem doctrinam probas, nec si magna desideratur, uides quomodo isti eam percipere possint, & simul publicis imperii curis uacare. En labascit iam res, quæ propemodum confecta putabatur. Non deest tamen, quod respondeam: habere me opinor aliquid, quo hanc tuam orationem refellam, & quod me tibi probaturum confido. Ego non ita sapio, ut uelim regem totos dies in bibliotheca sedere, & cum Sophistis duntaxat & alijs literatis uiris sine ulla intermissione uersari: Non ita sentio. Non me latet necessitas illa, qua astringitur regnator maximam temporis partem in agendo consumere, nam & magistratus eum deligere oportet ciuibus optimos, & leges scribere, tum æquissimas, tum ad finiendas uelociter controuersias, quantum fieri potest, potentissimas, leganones ad alios mittere, & aliorum ad se missas audire, multorum ac penè omnium, qui ei subsunt, ingenia, mores, fortunas, copias, facultates nosse, quo his scienter in publicum regni commodum pro cuiusque captu utatur. Sæpe ipse quoque ius dicere, omnia audire, uidere, laudare industriam, & bene de rep. meritis præmia decernere, & supplicia in malos iusta statuere, demum commentari secum & cum suis diligenter, ut cuncti qui eius parent imperio, quam optimè se habeant ad uirtutem, recteq; animo & corpore ualeant. Vt enim Gubernatori cursus secundus, medico salus, Imperatori uictoria, sic huic moderatori reip. beata ciuium uita proposita est, quæ talis futura est, si honesta fuerit, locuples, secura. Hæc & talia, dum peraguntur, magnam diei partem effluere non negamus. Inter ista tamen uolo illum à publicis, à priuaris, à suis, ab amicorum negocijs sepositum quoddam habere tempus diurnum siue nocturnum, quo curarum uacuus libris insistere queat. Quæ inuidia est hæc, si per dies singulos paucarum horarum spatia, quæ cæteri aleæ, pilæ, ludis deputant, ille absumpserit lectiunculis, e quibus meliorem multo & iucundiorem tulerit animo uolupta tem? Neque uerendum est, ut statim non possit percipere, nisi in illis consenescat. Aliud est enim esse professorem cuiusdam ingenuæ artis, in qua cum ociosa delectatione non capita tantum rerum amplectimur, sed & singulas quasque particulas, membra, quæstiones prosequimur, argumentamur, refellimus, comprobamus, uetera limamus, noua cudimus, aliud est scire uelle purè, quæ in arte traduntur stantem communibus decretis, & sumentem tantum ad animi sui cultum & ad rerum usum, quantum oportet. Illud enim primùm, non nisi diuturno tempore, & quod penè cum tota hominis uita excurrat, confici potest, alterum uir docili & feraci natus ingenio

ingenio facile arripiet, & ubi semel introspexerit, rerum fontes statim uidebit. Reliqua, quæ ex his oriuntur tortuosa & lubrica, sciet disputationibus supposita & ingeniis magistrorum. Sic infinita rerum sylua frustra illum terruerit, quoniam eligentur ex omnibus paucissima quædam numero, sed ui sua potentissima & cognitione dignissima. Sin autem insumpserit tempus in superfluis, nunquam abundabit eo in utilibus & necessariis. Cauebit igitur occupatissimus Princeps, ne in uulgaribus scriptis, ne in fabellis, ne in nugis, quanuis canoris tempus legendi absumat. Cauebit etiam e quibuscunque riuulis doctrinam haurire, quoniam id immensum esset & infinitum, delecta tantum euoluet uolumina & externa & nostratia, in quibus sit a maximis ingeniis elaboratum, & medulla rerum inclusa. Eorum uim, sensum, doctrinam, quum perceperit, satis intelligere poterit eadem ab aliis eiusdem artis doctoribus repetita, ita ut illis perlegendis tempus terere nihil sit necesse: & si quando illi fuerit de his, quæ in arte quapiā didicerit, loquendum, non tam ieiunè & squalidè faciet, quam faciunt plerunque hi, qui talia literis mandarunt, sed uberius effundet omnia & ornatius, genere dicendi utens quodam, quod fit ad popularem intelligentiam magis accommodatum, atque ita sermoni suo aptè quæque intexet, ut non ex doctrina loquacitas quædam, sed prudentia appareat nata, neque illa in alienum locum irruisse, sed in suum uenisse uideantur. Et hæc mihi quidem ita se habere uidentur. Sed ne forsitan dicant isti Principes hæc esse uerba, exemplis uti decreui. Nam illud in ore est omnibus mouere magis exempla, quam uerba. An non hoc audisti Alberte prouerbiū uice iactari? ALB. Audiui equidem: nec unquam satis rationem perspexi. MAR. Si eam audire cupis, credo id contingere, quoniam ea, quæ geruntur, & quorum effigies, ueluti exempla quædam ad inspiciendum proponuntur, subiaceant oculis, uerba autem auribus tantum capiuntur. Sensuum autem omnium oculorum sensus est acerrimus. Itaque magis excitant & penetrant animos, quæ uidentur, quam quæ audiuntur. Hinc aduersa & nostra & amicorum malumus audire quam uidere. Contra fit in lætis: nam hæc spectare magis cupimus, quam audire: tanta uis utranque in partem est oculorum. Sed illud quoque crediderim in causa, cur exempla magis moueant, quàm uerba, quia uidemus uerba superesse, exempla deesse: recta enim, & iusta, & fortia, & temperata facilius loquuntur homines, quam faciant: quapropter ubi, quod rarum est factu, emicat, tum id maximè mouet. Nam has accipis Alberte causas duas? ALB. Quid ni? MAR. Sed num illud accipis pariter? ALB. Quid? MAR. Quod exemplorum proposito trahit quodammodo ui quadam & necessitate audientiū assensum. ALB. Nondum percipio. MAR. Dabo operam, ut percipias. Nosti ne olim penes gentes & nationes omnes, imo & penes illorum tempora sapientes creditum uirginitatem mentium & corporum non posse in masculis fœminisq; seruari, ubi ad pubertatem peruenissent? ALB. Memini quandoque id me legere, & certe sublimitas rei, & difficultas, & naturæ quidem aculei impellebant, ut id fieri non posse crederetur. MAR. Quid ubi Christi religio effulsit, & uniuersas terras, uniuersa maria peragra-

re cœpit, & passim conspicerentur Christiani uirginitatis flore decorati utroque in sexu, num ea opinio cessauit? A L B. Cessauit plane: neque enim aliud possum dicere. M A R. Quis illam opinionem gentibus eripuit, & contrariam intulit? Num insurrexerunt e Christiano grege sapientes quidam, qui noua quadam & inaudita antea eloquentia freti id uerbis suaderent? A L B. Quæ uerba memoras mihi Marce? M A R. Nulla equidem tibi memoro, sed num ea suasio uerbis fuerit inducta requiro. A L B. Si meam exquiris sententiam, non arbitror uerba id effecisse. M A R. Non arbitraris? Esto ut uis. Quid igitur aliud eos commouit, ut faterentur custodiri uirginitatem per omnem uitam posse, quod antea negabatur. Si enim uerba non ualuerunt, quia facile est uerbis contraria uerba parate, unde id creditum? nonne necessario eo confugiendum est, ut dicamus nostros rem ipsam ostendisse & ea ratione uicisse? A L B. Necesse est propemodum id fateri. M A R. Sed quomodo rem ipsam ostendisse? nisi quod ostendebantur plures Christiana in gente uirginitatem custodientes, qui primum populis & nationibus uniuersis admirationi esse cœperunt. Deinde quum uirginum frequentia admirationem sustulisset, inducti sunt, imò coacti fateri id fieri posse ab omnibus, quod à quibusdam fieri uidebant: Non enim Christianos e lapide aut quercu esse dolatos, sed eiusdem naturæ esse participes intelligebant, & quod uirtutis genus illis inerat, id omnibus patere, si uellent, existimabat. Quid de solitudine nunc dicam? A L B. Quam mihi nunc quæso solitudinem inducis? M A R. Inuasit olim gentes illa quoque opinio nullum hominum solitudinem diutius ferre posse. Aiebant nanque hominem animal esse congregabile & sociabile, ideo illum congregatione & societate gaudere: & quantum his gauderet tantum solitudinem fugere & horrere: quam eorum sententiam falsam esse Anachoritæ nostri ostéderunt, qui magno numero eremi uastitates segregati incolebant, assiduè nullo hominum commercio diuinorum mysteriorum contemplationi uacantes: ea res exemplis cognita, quæ nullis uerbis populorum animis infundi potuisset. Si qui autem è nostris de solitaria uita uerba fecerunt, sicut Basilium fecisse uideo, non hi teneri eam posse ostenderunt, nam id cernebatur, sed quantum in ea esset boni docuerunt, hortatique sunt homines, ut solitudinem persequentes non iam humanam, sed Angelicam uitam ducerent in terris, nam Angelorum proprium est Deo assistere: Deumque contemplari, hos ut iam immitaremur suadebant, quos & in regno cælesti socios habituri, & quibus æquales futuri essemus. Quid ais nunc Alberte, quidue sentis? A L B. Illud quod necesse est. Etenim iam uideo quantum sit rem exemplo commostrare: suadent exempla, quod uix suasibile uidetur, nam tum quasi digito res (ut dicebas) ostenditur, & putet dicere præstare non posse hominem, quod alii frequentes adhibita diligentia, Deoque beneuuante præstant. M A R. Vis ne igitur, postquam tantum exempla possunt, trahamus exemplo quoque assensum istorum Principum, ut fateantur aliquando posse eos & doctrinæ & reip. administrationi pariter uacare: Cur enim impossibile putent, quod ab aliis factitatum est? A L B. Nulla ratio est id eos putare. M A R. Ego uero non illud modo exemplis inductis

ductis ostendam, id esse possibile, sed quanti etiam doctrina sit in Principe quantamque utilitatem afferat & fructum, tum ipsis, tum etiam populis: huc enim sermo noster tendit. ALB. Vera narras. MAR. Ergo quod magni momenti sit in Principe doctrina, testis antiquitas, quæ regnorum sceptra his deferebat, quos norat omnibus ingenio & nobilitate intelligendi antestare, non nascebantur reges, sed fiebant, cessabat ambitio, non generis amplitudo, non pecuniæ uis, sed commendatio morum, & prudentiæ opinio ualebat. Denique circum latis per uniuersam prouinciam oculis deligebatur ex omnibus, qui dignus esset tanto munere, ut omnibus imperaret. Non enim natura homini in alium hominem dederat dominatum, sed in pecora & beluas. Itaque quum nulli reges essent ab initio, institutum est deinceps publicæ utilitatis causa, ut multitudinem regerent imperitam prudentes uiri, non ut cupiditate dominandi, sed ut officio consulen di ducerentur. Sic de Iano, Saturno, Cecrope, Amphione accepimus, qui uetustissimis temporibus omnes regnauerunt, & ætatis suæ hominibus doctrinæ & prudentiæ merito uetustate Iudice anrelati fuerunt. Sic Mercurium trismegistum in Aegypto regnasse constat, qui propter admirabilem sapientiam cognomen illud inuenit, & Aegyptiis quidem tempestate illa fuerat solemne ex sacerdotum idest sapientum suorum numero regem creare. Sic deiocem scribit Herodotus unanimi Medorum consensu regem declaratum, quod priuatus antea popularium controuersias æquissimè definiebat, & aliorum sententias iustè terminabat, & hic Medis primus dicitur imperasse. Quid Licurgum referam Lacedæmoniorum Regem? quem constat doctissimum prudentissimumque fuisse, qui remp. Lacedæmone temperauit his legibus, ut quousque uiguerunt, inuicti fuerint Lacedæmonii cæterorum armis, quia uirtute erant superiores, Alexandrum magnum, qui bellica gloria præfulsit, Aristoteli plurimos annos operam dedisse notissimum est, eiusque laudatissima illa uox ad noblissimum hunc Philosophum in Epistola quadam, malle doctrinæ, quam imperii magnitudine cunctis antestare. Sed res est testis quanti fecerit disciplinas. Nam Aristoteli satagenti scire animalium naturam suppeditauit aliquod hominum millia, qui ex uenatu, aucupio, piscatione bestias cuiuscunque generis deferrent inspiciendi contemplandique gratia. Hinc optimi illi libri de animalibus ab Aristotele elaborati, in quibus cunctorum animalium uitam, mores, generationem, partus, cubilia, pabula, ætatem descripsit, quod fieri non potuisset, nisi summa regis liberalitas in comparandis alendisque bestiis subuenisset. Numam uero Pompilium constat Romulo urbis conditore extincto à populo Romano ex Sabinis accitum propter sapientiæ existimationem, quæ de illo erat, quam sanè gestis impleuit. Nam in regno constitutus quum uidisset populum Romanum tumescentem priorum bellorum successibus & nimis ferocientem, ipse ad religionis studium cæremoniasque sacrorum conuertit, & in pace ocioque continuit, ciuitatem denique mansuetiorem multo & iustiorem effecit. Ferunt hoc regnante, non bellum, non seditionem, non tumultum ullum in rep. extitisse, ac ne facinus quidem aliquod improbius patratum: contendebant omnes imitatione regis iustissimi

& moderatissimi animum ab omni uitio parum illibatumque seruare, idque præstantius & facilius factu regem exemplo uitæ multitudinem ad optima quæque deducere, quam ui minisque cogere: & Romanum tum quidem imperium regali potestate tenebatur, & exiguis finibus claudebatur. Factum est deinceps, ut in populi libertate, quæ septem Reges sequuta est, assiduè crescens ad ultimas tandem terræ regiones extenderetur, quo tempore eos, qui ad reip. gubernacula sedebant, Scauros, Scipiones, Catones, Metellos, Lucullos, Catullos, & alios innumeros literis & doctrinæ deditos fuisse notius est quàm, ut dici debeat. Rursus (ut sunt mortalia omnia fluxa & caduca) imperii administrandi rediit ad unum potestas. Cæsares namque imperare cœperunt, sed tum maximè gloria, opibus dignitate floruit res Romana, quum imperantes habuit doctrina excultos, qui nam hi? plures fuere: inter hos pono Octauianum Cæsarem, Vespasianum, Traianum, Hadrianum, Pium, & Marcum antoninos, Alexandrum, Seuerum, Aurelianum, Tacitum, qui suscepto imperio docti uiri & prudentes singula sic egerunt, ut non melius ageret ipsa resp. si loqueretur, nec mirùm, nam iuuabantur ad res gerendas scientia, quæ iuncta recto ingenio, magnæque potentiæ plura semper mortalibus bona peperit, semperque pariet: quicunque istorum temporibus Romano suberant imperio, fœlicem uitam agitauere, quum tunc honestas & ueritas ius suum retinerent, nec illi de populorum laboribus commoda sibi, sed de ipsorum laboribus commoda populis pararent. Vt enim ægrotantium causa Medici instituti, qui illis, non sibi commoda ministrarent, quamobrem non fas est Medicis affligere durius ægrotos & morbos diutius protrahere, quo maiorem ferant mercedem: fit enim tunc contra medicinæ præcepta, & ars ipsa uiolatur, sic principatus populorum gratia instituti, non ut eos affligerent, sed ut seruarent: non enim multitudo propter unum nata, sed de multitudine delectus unus, qui multitudinem curet eiusq; utilitatibus inseruiat, sic grex non propter pastoralem artem, sed pastoralis ars propter gregem inuenta. Itaque non suam utilitatem respicere debet Princeps, sed gregis sibi commissi, quodque huic proficuum id illi optimum debet uideri. Hoc Principes hi, quos modo nominaui, norant, & ut intelligeretur id eos nosse, re ipsa populis præstabant. Cum his Principibus optatissimum erat doctis & prudentibus uiris diem ducere. Nam quum & ipsi scientia rerum pollerent, de tep. uel de literarum studiis honestæ collocutiones erant, seueraq; multa & tristia iocorum sale condiebantur, ita ut quantum iucunditatis & fructus aliorum sermonibus caperent, tantundem cæteris inferrent. A L B. Tu uero Marce mitificè Romanos laudas Imperatores, qui ab exercitibus, tum legebantur, nam legendi potestas ad eos pertinebat. M A R. Laudo equidem, sed non omnes, uerum eos, quos modo nominaui. Quid? tu magnum fuisse id in illis putas, quod iucundi essent sermonibus? Maiora præstabant, nam non solum se ipsos & comites, sed etiam reliquos omnes continebant, ne delinquerent. Si quos autem deliquisse comperissent, ita puniebant, ut nemini postea liberet idem tentare. Nec uero quia ab exercitu ad illud imperiale culmen prouehebantur, ideo putaris cum militibus dissolutè egisse, ac non arctissimam disci-

disciplinam castrensem penes illos fuisse. Nihil licebat militi, nisi quod fas erat: unumquenque stipendiis suis contentum esse oportebat. BAPT. Verùm te dicere Marce arbitror: nam id ex historiarum monumentis colligere licet, in primisque id mihi Aureliani Imperatoris epistola ad Tribunum quendam missa indicat. ALB. Quam mihi narras Aureliani Baptista epistolam? nam me legisse non recolo. BAP. Scripsit Aurelianus ad Tribunum quendam militum his uerbis. Si uis Tribunus esse, imò si uis uiuere, manus militum contine. Nemo pullum alienum rapiat, ouem nemo contingat: uuam nullus auferat. Segetem nemo deterat, oleum, sal lignum nemo exigat, annona sua contentus sit. De præda hostis, non de lacrymis prouincialium habeat. Hæc ille Tribuno præcepit. ALB. O tempora, o mores. Ille sollicitus erat de pullo uel oue, ne raperetur à militibus. At superioribus bellis, quid hæc ætas mali non sensit? An non uidimus direptiones oppidorum, depopulationes agrorum, exustiones tectorum? Nonne ita omnia exhausta & perdita militum licentia, ut penè apud populos nihil sit reliqui. Cogita illud quoque Baptista illa laudabilia præstitisse istos, qui uerum Deum non nouerant, nec de rebus laudabiliter gestis præmiū aliquod cœleste de summi Imperatoris manu expectabant. Hæc turpitudo quanta? nos, qui prius Christi milites, quam regum sumus, quos susceptæ religionis nomen ad omnem animi uocat munditiem, deteriora gentibus præstare, quos erubescere oporteret, si tantundem ac non meliora præstaremus. BAP. Rectè indignaris Alberte. Nam Christi disciplina quemlibet nostrū impellere deberet ad honestissimarum rerum actiones, tum eius ueritate, tum præceptorum sanctitate, quæ etiam gentibus placuit. Et quoniam de Imperatoribus Romanis loquimur. Venit modo in mentem Alexandri, eius, qui Mameæ matri obsequens Romanum diu rexit imperium. Is in illis gentium tenebris Christi religione nondum ab omnibus recepta Christianis propemodum æquus fuit: quorum etiam consuetudine delectatus est, constatq; in larario Christum habuisse. Verum unà cum Orpheo, Musco, & alijs plerisque ueteribus heroibus: non enim ut Deum, nec ut æterni patris uerbum nouerat, sed ut præstanti uirtute uirum colendum arbitrabatur. Quum ergo Christiana lege præcipi audisset non esse faciendum alteri, quod sibi quis nollet fieri, præceptum hoc adeo dilexit, ut & in palatio & in operibus publicis incidi iuberet. Illud præclarus, quod sub hac eadem uoce, qui deliquerat, plectebatur, & officij sui admonebatur. ALB. O summum uirum uel summum potius Imperatorem, si quidem iustitiam tantopere colebat. MAR. At non hic unus, sed alij quoque, quorum nomina superius retuli, tales fuerunt. Hæc magna præstabant illi gentibus, quibus imperitabant: nec præstitissent, nisi optimam naturam optima doctrina corroborauissent. Quid? si doctrina Christi, quæ longè omnium est optima, accessisset? Num putas Alberte doctrinam Christi superuenisse, ut respublicas euerteret? ac non potius, ut meliora doceret? ALB. Sic sanè uidetur. MAR. Nonne uides quantum deferat Principibus? ALB. Video equidem, nam debitum honorem impendi iubet Principibus, etiam si difficiles fuerint & morosi, illic etiam dicitur, quod omnis potestas à Deo est,

&

& qui potestati resistit, ordinationi Dei resistat. MAR. Adde quod eisdem tributa præstari mandat seruans antiquum morem: nam antiquis temporibus, quibus Principes deligi cœperunt, uisum est communi sententia sustetari eos publico sumptu, propterea quòd sua negligentes publicis commodis inseruirent, & ea agerent, quibus non solùm ipsi, sed ciues quoque cum ꝉti cum suis rebus conseruarentur. Ipsi enim sunt, qui hostes propulsare, & ditiosos comprimere, malos cohibere debent, nec sinere alterum in alterius iura inuadere, ex quo socialis gignitur in populis amor atque concordia. Ergo quum Christiana lex summa habeat Principum curam, ut illi habeant subditorum, quis possit dicere rebus publicis aduersam, nec principatui congruentem? ALB. Nemo id iure possit. Nam quantum Christus principatum in rebus humanis approbet, uel illud etiam ostendit, quòd nasci uoluit Octauiano iam Romæ imo & totum per orbem dominante. MAR. Non ergo reiicit Christus Principes? ALB. Non. MAR. Amplectitur potius si tales sint, quales ipse uult. ALB. Quid ni? MAR. Vult autem uirtutibus omnibus abundare. ALB. Vult. MAR. Et doctrina quoque undique collecta. Omnis enim sana doctrina, non aliunde quàm ab ipso est, de illo unico effluit fonte, qui est fons omnium fontium. ALB. Rectè admones. MAR. Doctrina ergo illa, qua docentur Principes rectè imperare, & si tradita fuit inter gentes, & ab his, qui uerum Deum non nouerant: diuinitus tamen defluxit, & per sapientium uirorum ora promulgata fuit. ALB. Suades. Recta enim est locutio. MAR. Nulla igitur causa est Principibus cur nolint gentium doctrinam adhibere, quia dicant se Christi mysteriis initiatos. ALB. Vera narras. Doctrina nanque Christi ad altiora ducens, non illa humiliora reiicit & contemnit. MAR. Sed iam redire malo ad priora: & si nihil intexui nunc quod superioribus non respondeat. Veruntamen ostendere cœperam exemplis eorum, qui inter gentes imperarunt, eos rectissime id munus obiisse, qui docti ipsi & sapientes fuissent, nam illi quod potuerunt, cur nostri nequeant, non solùm non impediente Christi religione, uerùm etiam cohortante, & adiuuante? ALB. Quid ergo dicent? Nam si non posse dixerint, non suadebunt, sin nolle, desidiam suam coarguent. Sed perge porrò, ut cœperas: & redde quicquid omissum putas. MAR. Scio me in ueteribus Principibus Romanis enumerandis omisisse C. Cæsarem dictatorem, qui forsitan omittendus non fuerat, quum non solùm bellator fuerit acerrimus, uerùm etiam orator maximus, demum quibuscunque ætatis suæ hominibus doctrina par adeò, ut multa quoque conscripserit laude digna, quæ posteritati prodessent, quorum nonnulla adhuc inter manus uersantur. Idem rerum potitus labentem annum & errantem correxit, stabilemq; reddidit: quod non latinis modo, ue rùm etiam græcis, quorum sapientiam hauserat, quin potius omnibus nationibus, quæ idem exemplum sequutæ sunt, fuit perutile. Ex quo colligi potest nihil humano generi fructuosius, quàm ubi multa rerum peritia maximæ se potentiæ adiunxit. Quid Theodosius? nonne inter doctos Principes numerandus?

Qui prœlia musis

Tempe-

Temperat, & geticum moderatur Apolline carmen.
Arma inter, cymbrosq; truces, furtoq; nocentes. Sauromatas.

Magnum certè ornamentum Theodosio, quod inter prælia carminum curam susciperet, ac expeteret.

Tempora circum
Inter victrices hederam sibi serpere lauros.

Iulianus, quod à fide Christi turpissimè desciuit, potest uerę pietatis hostis haberi. Sed non literarum, neque artium multarum, quibus admodum deditus fuit, & quibus etiam Christianum populum, cuius odium profiteri cœperat, exagitauit. Sed quo piaculo Constantinum prætereo? Hic est ille, qui primus Christi religionem superiorum Principum uitio exagitatam ac penè demersam extulit, primus Romanis uexillis Crucis signa impressit, primus Romanorum Imperatorũ templa publicè Christo extruxit, & Christianos ad honores & dignitates perduxit. Non aliundè clarius perspici potest, quantum Principis auctoritas coniuncta prudentiæ ualeat. Nam ubi Constantinus Christi fidem palàm amplexus est, innumeræ gentes eandem fidem receperunt, ac deinceps prospera multa Christiano populo consequuta sunt, ita ut non multo post pulsis idolis uerus Dei cultus toto orbe terrarum enitesceret, in quo uno consistit animarum salus. Quamobrem & si diuino illa acta sunt fauore, qui religionem suam latius dilatari uoluit, ut fieret infinita credentium multitudo, attamen si quicquam ea in re humanis auxiliis tribuendum est, Constantini opera factum dixerim, ut totus orbis crederet, ueramque salutem acciperet. Is enim principium attulit publicè eam religionem professus. Principium autẽ potentissimam esse cuiusque rei partem scimus omnes: nam eo firmiter iacto reliqua facile sub manus succedunt, & principium tantarum est uirium, ut ait Plato, quod nemo hactenus Oratorum ac Poetarum illud pro dignitate satis commendauit. Vides ne Alberte, an me diutius dicere oportet, quantum salutis humano generi unius Imperatoris sapientia Deo moderante inuexerit. ALB. Video equidem, nec plura uerba desidero. MAR. At non religione tantum Constantinus insignis fuit. Sed innumeræ in eo, ut ait Eutropius, uirtutes animi corporisque claruerunt. Fortuna omnibus ei bellis fuit prospera. Verum ita, ut non superaret industriam. Mos ei plurimas discordias sedare, nutrire legibus bonas artes, precipuè studia literarum: legere ipse, scribere, meditari, audire legationes, & querimonias prouinciarum, affectari iustitiam, liberalitate amicos parare, & nihil occasionum prætermittere, quo eos opulentiores clarioresque efficeret. Hæc de ipso tradit Historia ab externis conscripta, ne à nostris ipsum tantum commendatum putes. Hic rursus urgeo, & quæro cur hæc exempla uidentes nostri Principes non ipsi quoq; literarum studiis uacent. Nam quod in procuratione totius orbis terræ, ingruentibus sæpè maximis bellis, & inter summas discordias & contentiones ad imperium quandoque euecti potuerunt, cur hi non possint unius tantum ciuitatis uel prouinciæ Domini, in ocio degentes & umbra, & in ipso principatu nati atque educati? an prioribus seculis meliora ingenia, maior docentium copia, uberior librorum supellex? non opinor,

quam igitur causam ponemus rudium & indoctorum Principum? nisi difidiam & inertiam, uel deprauatam horum temporum opinionem, qua tur pè habetur Principibus uiris discere, quod honestissimum est omnibus didicisse, quàm sanè opinionem, & si conuellere nequeamus, eam tamen indies magis magisque deterere rationibus exemplisque allatis, donec frangatur, ad publicam arbitror utilitatem pertinere. Iactabat Hadrianus se nihil eorum, quæ domi militiæque ad Principem, seu priuatum pertinerent, ignorare, nec mentiri uidebatur: Nam poemarum historiarumque fuit studiosissimus, Geometriæ, Arithmeticæ, picturæ peritissimus. Iam uero canendi psallendique artem præ se ferebat: Idem gladiatoria arma scientissimè tractabat, exercitum ducere & seuerè continere non alius promptior, & Hadrianus quidem in tam multiplici uarietate talem se exhibuit. Hoc audito pudeat istos quandoque in aliqua Philosophiæ parte tantundem non præstare, nam omnia discere uelle importunum forsitan habeatur. Inter externos ueteres Reges commemorare possum Mithridatem, cuius in primis tanta fuit memoriæ uis, ut uiginti duabus linguis loqueretur, nec per interpretem subiectorum sibi hominum quenquam appellaret: medicinæ præterea constat studiosum fuisse, Antidotumque nobilissimum ab eo conditum aduersus uenena, quod de suo nomine ad hæc usque tempora Mithridatis nuncupatur: Pompeius, qui Regem debellauit, reliqua præda militibus dimissa scrinia ipse inuasit, in quibus commentarios de simplicium effectu repertos Lanæo liberto Grammaticæ artis doctissimo uertendos in linguam latinam tradidit, qua re effectum est (quemadmodum Plinius asserit) ut uictoria illa non solum reipublicæ, sed uitæ quoque mortalium prodesset. Idem Plinius. Iubam Ptolomæi fratrem, qui primus Mauritaniæ utrique præfuit, ait studiorum celebritate clariorem fuisse, quam regno, & eius utitur restimonio in his, quæ de Atlante monte scribit. Eundemque asserit insignè uolumen de euphorbia herba scripsisse, quæ ibidem gignitur, propterea quod laudatissima esset in claritate uisus, & præsentaneam opem ferret aduersus serpentes uenenaque omnia. Attalum etiam pergami in Asia regnantem doctissimum fuisse non ambigitur, quo in oppido Bibliothecam quoque instructissimam fuisse ueteres scriptores prodiderunt. Pisistratum, qui tyrannico tenuit Athenas dominatu, doctum existimare licet. Nam dispersa Homeri carmina in unum collegit, & primus ingentem Bibliothecam Athenis publicauit, & tanta eloquentia fuisse dicitur, ut Athenienses libertatis suæ obliti se illi sponte subiecerint. Sed num uis Alberte ut huic causæ maior quoque accedat auctoritas, ut exempla de sacra collecta historia inseram? uel num id munus ad te potius pertinet? Tu qui quondie in ueteri hebræorum lege uolutaris: sacrasque personas assiduè literas, ea lingua, qua editæ sunt, ex quo necesse est notiora tibi esse, quæ illic tractantur omnia, adiuua me nunc quæso tuæ opis indigentem: exempla nunc querimus de sacris desumpta uoluminibus. Ecquem illic habes summum & potentem uirum, qui duxerit populum, aut regnauerit, idemque fuerit multiplici doctrina instructus. Vide si aliquem proferre potes.

ALB. Possum equidem. En tibi Mosem hebraici populi magnum & summum

mum ducem, quem omni Aegyptiorum doctrina instructum fuisse sacræ literæ prodiderunt. MAR. Omni inquis doctrina Aegyptiorum Mosem instructum fuisse. ALB. Ita proditum est. MAR. Næ leuem quidem scientiam fuisse in Mose apparet, si quidem omni Aegyptiaca doctrina imbutus fuit. Aegyptios nanque in omni doctrinarum genere cæteris gentibus præstitisse uel illud indicat, quod qui inter Græcos doctissimi habiti sunt, ad eos discendi causa nauigauerunt. Pythagoras, & Plato, & Democritus antea, & postea Apollonius Tyaneus. Sed Mosem pluribus non est opus commendare, cuius doctrina dubia esse non potest: quæ non modo sacris literis testata est, sed alios quoque locupletes habet auctores, quemadmodum Eusebius Euangelicæ præparationis libris egregiè est prosequutus. Præter hunc igitur, ecquem habes alium, quem proferas. ALB. Habeo Dauidem, qui ad solium Israelitici regni euectus lyrico metro diuina cantauit, sicut psalmorum opus ab eo confectum declarat, ut Flaccum quoque suum & Pindarum Hyerosolima habuisse dicatur. MAR. Accipio equidem hunc Dauidẽ, sed cur mihi non potius memoras huius filium Salomonem. Cur, inquam, hunc omittis, uel tam diu differs? Nam isto inter hebræos nemo latius regnauit, aut beatius, & sapientissimus idem hominum omnium, qui sub cælo essent, fuisse perhibetur. Legis Sabæorum reginam fama tantæ sapientiæ excitam relicto suo regno Hierosolimam ad eum aduentasse, & eo audito sapientiam illam fama omni superiorem dixisse. Sed res ipsa hoc ostendit. Quid enim ignorasse eum dicemus? Num diuina? quorum cognitio uera penes hebræos duntaxat erat, quos ipse regebat? At naturam cœlestium terrestriumq; rerũ, in cuius cognitione maximi Philosophi elaborarunt, præclarũ est tenere, hanc ille non renuit, quomodo id dicemus? qui de his rebus & rescripsisse libros aliquot, & Tyri philosophis proposuisse quædam & multa percunctantibus respondisse traditur. Certè testis est sacra historia illum de lignis disputasse à cedro libani usque ad erumpentem ex pariete hysopum, disseruisse quoque de iumentis, & uolucribus, & reptilibus, & piscibus. esto in his magnus, in his uero, quæ ad mores pertinent, nullus fuit, imò non alius peritior, hoc facillimè cognoscet, quicunque librum Prouerbiorum eius legerit, in quo breues collegit sententias, quibus uita hominum ueluti quibusdam præceptis, ut melius rectiusque se habeat, eruditur, quo docendi genere, quoniam illi ueteres septem è Græcia usi fuerunt, Sapientum nomen tulerunt. In altero uero libro, qui Græcè Ecclesiastes, latinè Concionator inscribitur, propterea quòd non ad unum aut alterum, sed ad uniuersos sermo habetur, aggreditur initio celebratissimam illam quæstionem inter Philosophos diu agitatam de bonorum finibus. Illic docet mundana omnia uana esse, imo uanitate ipsa uaniora, reiicitque eorum sententias, qui aut in scientia, aut in uoluptate, aut in diuitiis, aut in gloria, aut in his omnibus simul summum bonum constituerunt. Ipse autem summum esse bonum, & unicum asserit, Deo coniungi, eoque in perpetuum frui. Extat tertius eiusdem liber Cantica canticorum, ubi dramatis in morem sponsæ sponsique affectus expressit, & amoris iacula, flammasque depinxit, crebra ibi osculorum, amplexuum, pulchritudi-

nis & formæ mentio. Credas ut Poetam ludere amatoriis in affectibus, ſed figurata illa ſunt omnia, quæ quomodo ad eccleſiam Chriſtumque refe rantur, altioris eſt indaginis, ideo omittantur. Hunc tu regem, cui ſacræ perhibent teſtimonium literæ, non alium ſapientiorum natum nec naſci-turum prætens, tanquam non noueris, nec de eo quicquam audieris. A L B. Non me latebat Marce Salomonis ſapientia. Quid enim noſſem in ſacris literis, ſi hunc ignorarem tam uulgo decantatum? Noueram quæcun que protuliſti. Noueram ſoli Salomoni inter reges ſapientis cognomen ad-ditum. Sed ueritus ſum regem hunc pro exemplo proferre, ne mihi obiice retur, ſapientiam illam huic regi diuinitus affluxiſſe nullo humano labore & ſtudio partam: nec oportere, quod uni duntaxat ſingulari quodam priui legio tributum fuit, id in exemplum trahi: non enim omnibus eandem diui ni fauoris auram patere: ſi pateret: neminem regum illo inferiorem fore. Vide igitur ſi id obiiciatur, quid reſpondeas. Nam in tanta diſputantium ubertate obiecturos tibi id aliquos opinor, ubi audiuerint te ad Salomonis ſapientiam cunctos Reges reuocare. Fuit enim maior illa ſapientia, quam quælibet alia, quæ uiribus humani ingenii paratur. M A R. Non ego Al-berte ad ſapientiam Salomonis cunctos Reges expendo, ut ſi quid deſue-rit de pondere uel fulgore, uituperandos putem: contentus ſum in illis ea ſapientia, quæ adhibita animaduerſione & humano ſtudio comparari po-teſt. Cur igitur hunc regem in exemplum proponendum dico? ut intelli-gatur regem ſapientem eſſe oportere, idque diuino comprobari teſtimonio, quod humano longe eſt potentius. Nunquam enim Deus ſapientiam tan-tam regi infudiſſet, niſi regnanti neceſſariam oſtendere uoluiſſet. Nam ip-ſe quoque Salomon non ad ſuam, ſed populi utilitatem in ſomnio ſapien-tiam à Deo petiuit, hancq́; ille munificè, & ſupra etiam petita conceſſit. Hinc emanauit non multo poſt nobile illud iudicium inter duas mulieres de filio contendentes: necnon multa alia ſapiente rege digna geſſit, quæ ſa cri continent libri. Inſcitiam mihi crede Alberte & impr udentiam Deus ma gnopere auerſatur: unde hoc perſpici datur? de multis quidem, ſed non minimè de hoc, quod eam in peramato rege ui ſua pepulit. Nunquam ob-ſcuritatem illam ignorationis, propter quam ſine luce humanum iacet inge nium, Deus creauit aut adamauit. Quid enim Alberte arbitraris eſſe igno rantiam? an aliquid uel nihil? Ego tam nihil eſſe arbitror, quàm tenebras ſunt, quoniam & illa nox quoque eſt mentis. An non idem tibi quoque ui detur? A L B. Vtique. M A R. Quid ubi ſubingreditur in animo ſcientia, exiſtimas ne ignorantiam fugere illinc, & alio ſe conferre tanquam tem ali-quam mobilem? A L B. Abſurdum id quidem, quum eam nullam eſſe tem dixerimus. M A R. At ceſſat tamen illa tunc, nec manet. A L B. Fateor. M A R. Quomodo id fit? An non animaduertis ad ſcientiæ ingreſſum ad-eſſe tunc aliquid humanis animis, quo antea carebant? non enim aliquid aufertur, ſed ſupetuenit, quod exemplo patet luminis, quod ubi infertur, non pellitur aliquid, quod antea ibi eſſet, ſed adeſt aliquid, quod prius non erat. A L B. Rectè igitur comparatur lumini ſcientia, tenebris ignora tio. M A R. Perſpicis iam Alberte quanta ſit uis ipſius ſcientiæ, ut potè quæ luminis

luminis instar hoc habet præcipuum, quod non tantum lux est sibi, sed etiam cæteris. A L B. Magna certè uis est eius luminis, quod undique sun dit scientia in humanis animis collocata. M A R. Ergo in Principe, qui quo altior est & sublimior, eo melius cæteris prælucebit, hanc non requiremus? Non enim homines ad geminos hos cœli oculos (Solem dico & Lunam) tam intentè suum referunt aspectum, quàm ad Principis uultum, fixis intuentes oculis, quid innuat, quo feratur, quid fieri iubeat, quid decernat. Nonne fulgentissimum & omni scientiæ lumine micantissimum speculum illud esse oportet, quod ad se cunctorum oculos auresque trahit? ad cuius motum cuncta mouentur? & ecquod opus in terris habes Alberte aliud, quod aut Deo sit acceptius, aut illi magis simile, quàm sapiens Princeps. Ego uero nullum habeo. Sed num potes audire cur ita esse credam? A L B. Facillimè. M A R. Audi igitur, dixi antea de Salomone Dauidis filio, ut eum Deus afflatu illo suo diuino maxima sapientia instruxerit, quoniam id maximè regale esse ducebat; ex eo euidenter ostendit (ut mea est sententia) quanti in rege faceret sapientiam. Sed ut id clarius perspicias me auctore: possum ne à te Alberte impetrare, ut memineris, cuius figuram sapientissimus ille Rex ueteri in lege gerebat. A L B. Memini. M A R. Si meministi, gessisse illum dices figuram unigeniti, ubi è patris sinu æterni ad humana descendit. A L B. Ita est. M A R. Si tanta in illo sapientia, quanta in isto, qui plusquam Salomon fuit? Nonne igitur uides quomodo hunc unigenitum suum Deus, æternitate sibi, & potestate, & substantia in diuinis parem, ad humana uenientem eminentissima scientia donauit, nec alia ratione id factum, quam ut in forma quoque humana sibi quàm propinquissimè accederet: omnia ille gratiarum dona sine mensura accepit, quum cæteris ad mensuram tradantur. An non ita de eo Ioannes Baptista Euangeli antesignanus prædicabat? A L B. Prædicasse memini. M A R. Sed nec id tacuisse Apostolum Paulum meminisse potes, dum asserit in illo omnes sapientiæ & scientiæ thesauros fuisse reconditos. Et quisquam hoc exemplo accepto sapientiam aspernabitur, & eam regi negabit conuenire? Non huc uenit quidem unigenitus Dei filius, ut regnaret, sed ut ministraret: nec solùm Rex natus non est, sed ne Rex fieret, etiam uitauit: nullam denique hic regni coronam, nisi spineam accepit: uetè tamen extimantibus Rex Regum erat, & cœlestium terrestriumque rerum Dominus, sed latebat tunc tantus ille dominatus, sed non semper latebit. Nam regnantem quandoque Christum cuncti mortales sentient & agnoscent, ueniet aliquando magna cum maiestate uniuersum orbem de factis eius & sceleribus iudicaturus: fulgebit tum crucis gloria, impii, quem despexerunt, timebunt, pii quem dilexerunt, uenerabuntur.

MARCI

MARCI ANTONII NATTAE ASTENSIS,

DE PRINCIPVM DOCTRINA LIBER TERTIVS.

ALBERTVS.

EXISTIMAS te posse Marce suadere Principibus, ut doctrinæ studusque literarum uacent, exemplis inductis doctorum & eruditorum Principum, quasi quia tales fuerint, rectè & legitimè populis imperarent, probatio hæc, & si primo placuit, nunc tamen altius intuenti non satis firma & constans appatet, & iam uereor ne eiiciatur per aduersarios, certè repugnabunt allatis ex aduerso exemplis aliorum, qui docti & eruditi fuerunt, & fœdè tamen crudelitetque imperarunt. Adducent è ueteribus Phalarim Agrigenti Tyrannum, cuius famosa fuit crudelitas, qui tamen & doctus ipse & doctorum hominum studiosus fuisse perhibetur. Addent Dionysium Siculum seniorem, quem in literis plurimum uersatum accepimus, nec tamen his dicent adductum, ut iustitiam coleret, nec cohibuisse se ipsum quin Tyrannico imperio teneret Syracusas, & multa in Deos impiè, plutima in ciues nefariè committeret. Et ut ad Romana ueniatur exempla, proponent Tiberium & Caium Gracchos fratres, qui inter Principes erant ciuitatis, & omnibus melioribus artibus instructi, qui tamen maximos seditionum fluctus excitauerunt, his ipsis animi dotibus, quas nos laudamus, non alio sanè tespicientes illi, quam ut imperitæ plæbeculæ gratificarentur. Tiberium quoque Neronem, qui a Cæsare dictatote tertius Romanum tenuit Impetium, inter eruditos constat fuisse, hunc in principatu multa præclarè, multa etiam scelératè gessisse legimus. Quid de Iuliano dicam apostata? quem tu inter bonos Principes ausus es collocate: Nonne hic Christi doctrina, quam à pueto usque imbiberat abutebatut? Eam nanque deridete & exagitare solebat: et Christianos nihil aliud quàm Marcum & Lucam legete petmittebat, cæteras disciplinas attingere edictis uetabat, & dum eis opes auferret, id se ex Christi præcepto facere dictitabat C. Cæsatem dictatotem numeras intet doctos, optimè, sed quid ille unquam egit in rep. ut reip. iura tueretur, ac non potentiæ suæ causa? Nonne tandem diffidens à ciuibus leges & libertatem populo Romano ademit, temque publicam ui & atmis inuasit, & aduersariis deuictis oppressit? Cuius factum imitatus est non multo post Octauianus ex sotore nepos unà cum reliquis triumuiris, indicta etiam acerbissima in ciues proscriptione. Hi duo si post partas uictotias ciuitati ius suum reliquissent, & uirtute Principes libertate cæteris pares esse uoluissent, melius & ipsi audissent, & historiæ de eis loquerentur Sepnmium Seuerum doctum, eundemque crudelem fuisse accepimus. In eodem reponent numero Gallienum Augustum,

ſtum, hominem improbiſſimum & nequiſſimum, quem tamen Poemate & oratione ualuiſſe plurimum, & nemini ſuæ ætatis Poetarum & Oratorum ſecundum fuiſſe conſtat: hi ueteres. Sed è recentioribus plures alij poſſent ab eiſdem fortaſſe nominari, quibus quum doctrina non deeſſet, defuit iu ſtitia & rectè imperandi uoluntas. Poſſem & ego quoque (niſi offenſionem timerem) adducere nonnullos, qui euiſdem notæ fuerunt. Doctrina aderat, ſed non multa è doctrina præſtabant. Quid ergo iactamus doctrinam, ueluti iuſti imperii opificem, ſi eius etiam participes iniuſtè imperantes uidemus? Exiſtimandum eſt potius naturam ad bene imperandum, quam doctrinam ualere. Hæc me ualdè commouent, quæ niſi refellantur, nulla erit utilitas ſuperiorum ſermonum, fruſtra hæc inter nos habita fuerit colloquutio, audaciores reddentur aduerſarii, & uiciſſe gloriabuntur. MAR. Quid ergo Alberte? Num tu tam facile de ſententia diſcedis, ut iam putes contra quam olim exiſtimabas, doctrinam regnantium non ipſis regnantibus non populis utilem fore? ALB. Nondum equidem id puto. Sed noſti uim contrariorum, quæ niſi diluantur, magnum generant errorem, & aduerſariis palmam acquirunt. MAR. Iure tu poſtulas Alberte, aut refelli obiecta, aut ſi fieri id nequit, alteri parti uictoriam concedi. Itaque mecum nunc euoluo quomodo id aptè facere poſſim, in primiſque cogor & ingenium tuum & eloquentiam admirari, nam & acurè, quid ex contraria parte aduerſus ſuperiores ſermones obiici poſſet, uidiſti, eaque dilucidè & eleganter expoſuiſti. Caput autem eorum omnium, quæ dixiſti, illud eſt, nihil prodeſſe doctrinam magnis in imperiis, propterea quod plures docti & eruditi uiri eam obtinentes fœde peccauerunt, & ſumma cũ pernicie populorum regnauerunt, & ne id fingi putaretur, exempla multo rum attuliſti, & ea omnia clara & illuſtria, ut id ſaluo pudore inficiari queat nemo. Equidem fateor eorum & his ſimilium opera magnam doctrinæ ea lumniam impoſitam, adeo ut ira cunctorum odioq; ſint digni, quod cum eis licuiſſet doctrinæ facultate, pulſis & fractis uexanis animi cupiditatibus iuſtè imperare, fœlicemque ſibi ac populis uitam comparare, quantum mortalibus poſſidere fas eſt, hacque ratione doctrinam extollere, non tantum apud ciues ſuos, ſed alienigenas etiam, atque adeo Barbaros omnes, illi non ſolum hoc modo non honorarunt, uerùm econuerſo deturparunt, præſtiteruntque improbiſſime uiuendo, ut à pluribus doctrina contemneretur, ueluti nullius boni cauſa eſſet, & nihil ſui cultoribus afferret, quod tamen longe eſt ſecus. Magnum enim quoddam & immenſum bonum doctrina hominibus præſtat, ita ut nemo unquam tanta fuerit facundia, qui ſatis pro dignitate illam laudarit: quid enim præſtat, (inquiet) è rudium & imperitorum numero aliquis? imò uero quid non præſtat? Hæc diuina myſteria, naturæ conſilia & actiones nobis denuntiat. Hæc oſtendit quo cogitata, dicta, facta noſtra referre debeamus, & cui inſiſtentes itineri mortalis huius uitæ ſtadium rectè peragrare poſſimus. horum omnium cognitio à doctrina proficiſcitur, quæ ſi magna, atque adeò maxima ſunt, contemni profectò non debet, etiam ſi docti plures ad eius præſcriptum minimè ui uant, niſi contemnimus quoque arma ſeu armorum officinas, propterea

quod

quod nonnulli in bello fœde arma proiiciant, seque hostibus dedant. Tyrannicè imperarunt nonnulli omni doctrina instructi, esto. Num ob id doctrina culpari meretur? non arbitror. Nulla quippe doctrinæ culpa est, si homines non cogit ad bonum: non enim hanc habet facultatem: potest quidem monere, erudire, impellere denique, ut ad meliora se conuertant, & uirtutis partes sequantur: sed cogere non potest. Atque id ipsum, quod cogere non possit, hominis gratia institutum fuit, ut boni cuiusque operis doctrina instrumentum, homo dux esset, & hinc homini laus præmiumque accederet. Si enim doctrina hominem cogeret ad bonum, doctrina homine uteretur, omnisque actio honesta doctrinæ ascriberetur, non homini, nunc meliori ratione effectum est, ut homo doctrina, non ut doctrina homine utatur. Sicut nec in naui clauus utitur Gubernatore, sed Gubernator clauo, ideo recti cursus laus non clauo, sed Gubernatori debetur. Denique ut res melius perspiciatur, ponamus nobis ante mentis oculos Principes duos, malum unum, bonum alterum, & uideamus quid doctrina si adsit, in utroque possit. Deinde si non adsit, quid ex eo sequatur. Et malus quidem Princeps, & si doctrinam teneat, qua remp. administrare queat, tamen ei non assentitur, contrariaque si agat, id sibi & rationibus suis putat fore utilius, ideo nihil ea utitur. Itaque siue Phalaris, siue Cæsar, siue quis alius Tyrannidem affectauit, & hanc consequutus, Tyrannicè imperauit, huic doctrina non ipsi, non populis profuit. Fateor Alberte, & memento me hoc tibi affirmasse, in Tyranno doctrinam nec ipsis nec populis prodesse, sicut nec aurum nec argentum prodest mortalium nemini, si eius dominus ad ostentationem tantum, non ad fructum aliquem utatur. At in Principe bono, quis effari queat quantum doctrina afferat populis utilitatem? quantamue iucunditatem? hic est quem cupimus gentibus & nationibus imperantem uidere, qui uelit & possit legitimè imperare, nam ut uelit, efficit iustitiæ amor & cultus: ut possit, à doctrina mutuatur. Hoc ego Principe nihil statuo in terris gloriosius, nihil splendidius, cui ad rectam uoluntatem accessit egregia scientia, tum multo usu, tum assidua disciplinarum tractatione comparata. Parum ne igitur tibi doctrina Alberte uidetur posse, si in eo, qui bonus studet esse Princeps, id agit, ut quod cupit efficiat? nam uoluntas ipsa non multum laudis habet, nisi res sequatur. Hoc est illud, quod magni momenti duco esse in doctrina, quod per eam efficit Princeps iustitiæ studiosus, ut cum omni uirtute & tranquillitate, populi, quos sub se habet, fœlix agitent æuum, hoc doctrina absente continge re nequit, uult quidem ille hoc efficere: sed nequit propter inscitiam. Ex hoc maxime perspici potest, quantum præsidii sit in doctrina ad beatum populorum regimen, quum adest, si cogitetur, quantum afferat detrimenti ubi abest. Loquor autem de bono Principe, cui salus & beatitudo populorum sit cordi. Nam in malo Principe doctrinæ inopia nullum affert populis detrimentum, quoniam si eius habeat copiam, nihil magis uteretur, quando semel statutum est ei malum esse & Tyrannicè imperare. Itaque iam ut concludatur hic sermo Alberte, sic habeto, me plurimi facere doctrinam in Principe eo, qui iustè studeat gerere principatum, quo studio teneri cum

ctos

etos Principes oportebat. Nam doctrina id effecit, ut conatus suos ad optatum exitum ualeat perducere: quod unum maximè spectatur, nam consumatio operis penè sola commendat artificem. In malo autem Pncipe doctrinam non requiro, quia nullum ab ea populis iuuamen proficiscitur, postquam malus esse uult, & libidinem suam iuris statuit esse mensuram. Frustra igitur mihi obiiciebas Alberte Tyrannicam uitam eorum, quos doctos fuisse constabat. Nullam ego in Tyrannis doctrinam desidero, quoniam in illis omnis doctrina superuacanea est, cui non parent, quam non auscultant, uerba tantum esse quæcunque de uirtute traduntur, existimant. Neque ego dum in Principe doctrinam requiro, de huiusmodi monstris & prodigiis loquor, sed de eo, qui saltem hoc Principis titulo sit dignus, hoc est, qui honestatis curam aliquam habeat, cupiatque legitimè principatu uti, nam ut quod expetit assequatur, doctrina instructum ad tanti muneris tractationem accedere cupiebam: huc tendebant superiores nostri sermones, quos tu falsò de Tyrannis quoque haberi arbitrabaris: non enim illos respiciebam. His ego rationibus protectus dico in Principe, rectè imperii cupido necessariam doctrinam tanquam clauum, nudam autem uoluntatem nihil aut parum proficere. Nam quod subiecisti deinceps Alberte naturam ad rectè imperandum plus ualere, quàm doctrinam, uide, ne id tibi concedi nequeat. Fac Principem sponte sua propensum esse ad iustum rectumque colendum, cupere instinctu quodam mentis, ut omnia iure & legibus gubernentur, nolle obsequi libidini suæ: nulla ne impediunt, quominus in proposito susceptaque sententia permaneat? At quàm multa sunt. Primùm uoluptas irrepit suauiter affluens sensibus, eosque leniter demulcens, cui, quoniam domesticus est hostis, & naturalis cuiusdam boni speciem præ se fert, non facile obsisti solet. Consuetudo uero horum temporum quantum ei auctoritatis præbet? quantum licentiæ? qua pro nihilo habetur adulteria stupraque in domos castas intulisse. Virginalemque uerecundiam prostituisse, maritaleque fœdus & thorum illum legitimorum amplexuum conscium probro temerasse. Hæc passim admittuntur, quia impune fiunt, & nulla horum sunt iudicia: dormit enim (ut est penes quendam Poetam) Lex Iulia: quanquã & cæteræ iam leges eodem exemplo conniuere uidentur. Demum non est aliud, quod æquè frangat animos, humique deiiciat, quàm libido oculorum reliquorumque sensuum, & circunfluentes undique uoluptates. Quid auaritia ipsa? parumne derorquebit de recto sensu Principis? suadens in summo fastigii culmine posito multa esse paranda, atque adeo rapienda, ut possit omni cum elegantia & copia, magnoque rerum strepitu intra principalem aulam degere, & nulli hominum in diuitiis & apparatu esse secundum. Quis tunc obsistet? nam priuatos à rapinis legum iudiciorumque metus coercet. At Principis potestas supra hæc est omnia: non cohibent scriptæ leges Principem, quin etiam per ipsas leges sola Principis uita exlex statuitur. Ira uero quantum incendit? quæ obliquos agit uiros, etiam graues, & nihil ferè aliud in homine tam turbat rationem, quàm feruor ille mentis, quo nos læsos dolemus, & ulcisci affectamus. Hos uehementiores animi motus iugum rationis excutientes & posse se ferre negantes, priuati ho-

E mines,

mines, quanuis natura & moribus bene constituti, difficulter repellunt, Principes uix posse uidentur, ira multa perditi, quos circa se habet, moliuntur, tot machinis oppugnant uitiis fauentes suis, ut omnibus opus sit præsidiis doctrinæ ad conseruandum in eo rectæ naturæ statum. Atque hæc de moderato Principe dicuntur, qui habet aliquam curam honestatis tuendæ propter naturalem pudorem, ut multis in aduersum impellentibus uix sine literarum studio stare posse uideatur. Sed quid erit, si fuerit aliquis natura ad iniustitiam procliuis? qui crudelitatem non horreat? auaritiam diligat? intemperantiam etiam amplectatur? neque à suis, qui deprauare magis solent, neque à doctrina, quam nullam habet, à turpibus reuocetur? An non tunc, ueluti torrens quidam iniquitatis agros urbesque inundans obuia quæque trahet, rapiet, disperdet, lacerabit? quem tutum à tam immani & truculenta bestia reddet uirtus? quem egregia gesta? quem generis nobilitas? quem diuitiæ? quibus etiam irritabitur. Lege quæso Alberte iniquorum Principum gesta, horrebis animo tam tetra legens facinora. A L B. Legere me aliquando memini. M A R. Reminiscere ergo fœdissimarum illarum mortium, quum lacerabantur humana corpora minutis ictibus repetita: nam celeritas mortis beneficii loco ponebatur. Quum quidam ad supplicium duci iussus rogaret Tiberium Cæsarem, ut uno ictu concideret, tum ille, nondum (inquit) tecum in gratiam redii. Illa enim Caligulæ uox, quàm impura? quàm nefaria? quum non simplici contentus morte illud passim effunderet. Moriatur, & ita moriatur, ut mori se sentiat. Num tibi Alberte uox hominis & ad hominem uidetur? A L B. Polyphemi mihi hæc uox uidetur, uel Antropophagorum quorundam ad socios facta, si modo ulli unquam tales fuerunt. M A R. At qui horum nefandorum suppliciorum causa erat nuda quandoque Principis libido, sæpius leue aliquod dictum uel suspicio quædam. A L B. O optabile sub tali domino exilium & fugam fœlicem. M A R. Miserrimi sanè erant, qui comprehensi talia perpeti cogebantur, quando etiam ipsa crudelitas acerba & miseranda est inspicientibus. Quis enim paululum humanitatis habens humanum corpus lacerati, & singula membra cruore rorantia uel in hoste libens uideat? At ii, quibus aspera est natura, nec ullum cum musis commercium, quæ mansuefacere feros & indomitos eorum animos poterant, ubi dominantur, pascere oculos gaudent miserorum suppliciis infandis. Nihil illis dulce præter uinum & iniuriam, næ Veneris quidem uoluptas grata, nisi illicita sit. B A P. Recte uituperas Marce hos, qui tam sæua inferunt supplicia. Principem nanque oportet ueloccm esse ad præmia: tardè autem ac propè fastidiosè ad pœnam se commouere: & de multorum tunc consilio. Hinc Iouem finxit antiquitas, quum auxilii aliquid & utilitatis mortalibus importare uelit, id solum facere: sed ubi fulmine nocere uult, uel tempestate aliqua fœda, uel terremotu, uel bello aut pestilentia, duodecim aduocare: illisque auctoribus ad uindictam se conferre. Sciebat ne id antiquitas? minimè: quando enim cœlos conscendit? ut renunciare potuerit, quæ illic fierent. Sed exemplum regibus proditum, ut eadem facerent. nam Io-

uem

uem summum Deorum omnium errare non posse censebant, & tamen hūc in puniendis sceleribus illo more uti uoluerunt. MAR. An non optimum quoque illud Socratis, quod in illos triginta Athenarum Tyrannos eiacula tus est? qui multos indemnatos ciues occiderant propter pecuniam, & ami cis concedebant parem licentiam, mirùm uideri, si malus haberetur bubul cus, qui concreditos suæ curæ boues indies pauciores faceret, & peiores. Rectè autem existimet se ciuitati præesse, qui populum quotidie minorem faceret & deteriorem. BAPT. Sapienter quidem Socrates, ut omnia: quanquam ob hæc & similia dicta increpitus fuerit à Critia Tyrannorum illorum acerrimo, & monitus, ut desisteret, parumque absuerit, quin occi sorum numerum augeret. Sed postquam in hunc sermonem suppliciorum Tyranuicorum incidimus: occurrit nonnullos esse, qui etsi in reliquis crimi nibus legitimo iudiciorum more utendum putent, in maiestatis tamen iu dicio quiduis licere arbitrantur, & à quæstionibus incipiendum affirmant. Itaque qualibet occasione uel suspicione comprehenduntur homines, & a- cerrimis tormentis interrogantur. Occiduntur quoque uel in exilia nudi pel luntur, quasi eo melius conseruetur maiestas, quo durius uiolatur humani tas: compertum satis putant de crimine ubi in reum prona est quælibet su- spicio. Ego quod isti faciunt, nunquam lege sancitum reperi, nec ab ullo prudentia Iurisconsulto responsum animaduerti. MAR. Dubitas ne frater, quories hæc geruntur, quin ad meram gerantur libidinem? BAPT. Vt non dubitem inique ista geri, illud facit, quod suadet ratio ne ambigua in re cer ta feratur sententia, & præsertim ubi de crimine incumbit damnatio: nam illic probationes luce meridiana clariores requirimus. Concedunt leges dā nationem, sed in confessum uel conuictum. Nunc quæ est impudentia, uel quantus potius furor? Non es certus de crimine, & tam securè procedis ad pœnam. At hic agitur (inquiunt) de maiestate læsa, quo crimine non aliud atrocius. Scio & concedo, ut ipsa mouearis criminis atrocitate, pro- bari scilicet non accusati: nam uel innocentia ipsa nocens esset, si solùm accusasse sufficiat, nec quod atrox sit crimen, ideo probationes non quæ- runtur, imò eo grauiores quæruntur, quod tantum crimen admissum facile credi non potest. Animaduertit Senatus Romanus M. Tullio & C. Anto- nio consulibus in P. Lentulum prætorem & coniurationis socios, sed dete- cta iam erat coniuratio, indiciis, confessionibus, testibus, literis denique reorum, ritè tunc illi pœnas sceleris sui dederunt, at donec latuit coniura- tio, nemo in crimen aut iudicium uocatus, tantum, quæ erant suspecta ca uebantur. Sic agere oportet Principem cum ciuibus, ut in eis non suspi- ciones, sed crimina puniantur. MAR. Nemo te audiens Baptista non ue- ra dicere existimabit, idque more tuo facis, quo consultus inconsultusque ueritati assiduè inhæres. Principum iniquorum hæc est ratio, qui ubi de imperio suo agi sentiunt, timentes ne imminuatur aut labefactetur, prospi ciendum sibi putant miserorum exiliis aut pœnis, & quicunque in illorum degunt comitatu, gratificari se illis putant, si acerrimos præbeant se crimi- nis inquisitores, uel quarumlibet suspicionum ultores. Itaque multa absur da & grauia consequi necesse est, ut quæ nulla ratione gerantur. Bonus au-

tem Princeps, idemque doctrina pollens nihil huiusmodi molietur. Quis M. Antonino è Romanis Principibus doctior unquã fuit? quis Philosophiæ præceptis instructior? quis eodem mitior, lenior, humanior, clementior? Illud indicat, quod quum ad eum Elius Verus, qui collega fuerat imperii, literas dedisset, quibus significabat Auidium Cassium affectare tyrannidem, hortareturque, ut morte ipsius sibi ipsis consulerent, in hunc fere modum Marcus rescripsit. Quæ te mala impulit ratio, ut tam solicitè mereres? An tibi uidemur posse in Auidium aliquid statuere & animaduertere nullo teste conuictum? quum in causa maiestatis quicunque etiam legitimè dam natus, tamen oppressus semper putetur. Aut enim dii immortales uoluerunt Cassium sublatis nobis imperare, & hoc uitare nullo modo poterimus, aut si aliter fatum manet, ipse sponte sua cadet. Nemo qualiber sæuitia & feritate præditus successorem unquam suum peremit. Suos igitur sibi mores habeat Cassius, & quantum ad nos attinet, uiuat, præsertim quum Dux bonus bello sit, & ueterem illam cassianam seueritatem militibus & reip. præstet. His & talibus sententiis pugnans Antoninus facile una epistola collegæ cupiditatem arcuit. Verum quum multis post annis Cassius aperte desciuisset, fuissetque ob eam rem à militibus totius penè orbis consensione interfectus, ægrè tulisse Marcus dicitur, quod non uiuus potius in potestatem uenisset, ut officia in eum sua commemoraret, & seruaret. Vxorem deinceps & liberos eius incolumes præstitit, quibus etiam dimidium patrimonii paterni reddidit, petiitque à Senatu ne in socios & conscios defectionis grauiter uendicarent. Idem hic Imperator, qui Philosophus & erat, & habebatur, grauia bella tum per se, tum per legatos confecit, omnibus reip. muneribus uigilanter astitit, uirtutibus honores & præmia reddidit, scelera extinxit, pacem ac ocium pop. Romano & prouinciis omnibus labore suo parauit. A L B. Hic ergo ostendit uerissimam esse illam Platonis uocem beatas illas fore respublicas, ubi aut Philosophi regnarent, aut reges philosopharentur. M A R. Hanc uocem Platonis auream idem Marcus usurpare quoque crebro solebat: nec usurpasset, ut opinor, si dissimilia facta uerbis præstitisset. Intelligit autem eum Philosophum esse Plato, qui nō doctrina tantum, sed uita quoque & moribus sit Philosophus. Dixi antea non officere populis, si malus Princeps doctrinam habeat nullam, hoc accipi uolo de morum doctrina, quam iniquitati deditus etiam si habeat, non audit. At naturalium rerum inscitia fateor non modo moderatos Principes, sed etiam malos plura in se & alios peccauisse. Hoc admonuit epistola Antonini prudentissimè scripta, & id quod à Domitiano insulsè, ne dicam improbè et crudeliter gestum est. A L B. Quid nam hoc est, quod à Domitiano gestũ dicis iniquè? nam epistolam Antonini nuper audiuimus. M A R. Domitianus Imperator bacchatus est cædibus et rapinis in Senatores Equitesque Romanos. Inter cæteros Metium Pompesianum iussit interfici, propterea quòd genesim haberet Imperatoriam. Hoc audiens exclamare cogeris magnam inscitiam fuisse præcepti? Si enim considerasset Domitianus, quod in epistola Antonini nuper recitatum est, nunquam se cæde illius uiri contaminasset. Illius nanque uox est, quod successorem suum nemo unquam

quam peremit. Fac enim esse in sideribus, (quod ego non credo, nec unquam prudentibus uiris suaderi potuit) sed faceam esse in sideribus uim, ut certo loco collocata, quo die Pomposianus nascitur, efficiant uel indicent eum Imperatorem, & id necessario euenturum, nulla causa Domitiano, cur eum interfici iubeat, non loquor de legitima causa, sed temeraria: Si enim ex siderum positione, quæ nascenti Pomposiano affuerunt, portenditur eū necessario Imperatorem fore, profecto antequam imperium adipiscatur, occidi non poterit, non si millies quidem id iubeat Domitianus. Quamobrē frustra iubetur occidi, siue genesim Imperatorium habeat, siue non habeat: Si enim habet, occidi non poterit. Sin occidi poterit, non habet, sic etiam conficitur, ut uanè timeatur, id quod aut futurum non est, aut si erit, euitari non potest. An ita defendetur Domitiani factum, ut dicatur siderali lege dispositum Pomposianum imperaturum, nisi iussu Cæsaris fuerit interfectus: hoc si sumpserit aliquis, sumet alius, nisi antea morbo perierit, uel nisi illud, uel illud fecerit, alius denique aliud excipiet, ita ut non uideantur sidera ratum aliquid & fixum ostendere, sed dubia omnia & fluxa. Quamobrem, qui conuenit incerti euentus gratia certum suscipere flagitium. Intelligitur iam (ut opinor) ex inscitia dominantium proficisci cædes uirorum illustrium, quæ non modo ne male, sed ne frustra etiam committantur, doctrina præstare potest. Simili Vesania captus Valens, qui cum Valentiano fratre Romano præfuit imperio: Is quum de successore imperii quæreret à Magis, audiuissetque ab eis successurum eum, cuius nomen à quatuor his literis initium duceret th. e. o. d. multos nominis causa peremit, quasi illos insidiatores haberet imperii, aut illo pacto efficere posset, ut successore careret. Occidebantur ergo Theodori, Theodoti, Theoduli, Theodorici, quicunque in capite sui nominis illas literas habebant, quin etiam Theodotulus quidam ex Hispania uir fortis occisus est: quo animaduersa plurimi periculi effugiendi gratia nomina sibi mutauerunt, & nunquam se prioribus nominibus appellatos fuisse pernegabant: quid porrò profecit illis cædibus Valens? certè præterit Theodosium Honorii filium ex eadem Hispania oriundum, quem successorem ille Magorum ambages denotabant. His addo Neronem, qui antea simili usus est feritate in causa. Nam quum eo imperante uisæ essent sæpius stellæ, quas cometas Græci, nostri crinitas uocant, & anxius esset, quod uulgo credebatur earum conspectu summis potestatibus exitium portendi, ubi à Babilo Astrologo admotitus est solere reges talia ostenta aliqua illustri cæde expiare, & à semet in procerum caput conuertere, statim in nobilissimum quenque uariis occasionibus allatis sæuire cœpit, & ea in re non domesticis, non exteris pepercit: stultè quidem & insipienter, si hac ratione credidit stellæ fatum uitate. Si enim illorum crinium radiis interitus fuerat prænuntiatus ei, qui rerum potiretur, quomodo pestem debitam à se poterat auertere, & in alios deriuare, quasi ignato sidere, quem notaret? Quod si dicatur sidus illud malignum esse usque ad necem illustribus uiris, quæro utrum omnibus malignum an quibusdam duntaxat? Si omnibus, ergo & Imperatori: Non igitur fatum euadet: Si quibusdam tantum, necesse est alterutrum, ut in numero horum paucorum,

rum, quibus denuntiatur interitus, includatur Imperator aut non includa tur: nihil poteſt eſſe tertium, ſi includitur in illorum numero, certè occidet, nec elabetur, etiam ſi plurimos interfecerit, ſin extra illorum numerum fuerit, quibus dira protendantur, quid opus eſt aliorum cædes moliri ſua cauſa, quum ipſe in tuto ſit. Nulla igitur ratio, cur ubi ſe oſtenderit crinita ſtella, ſtatuat Princeps in aliorum cædem: ſiue denuntiet ſtella illi necem, ſiue non denuntiet: nam in altero ſtellæ uis euadi non poteſt: in altero nihil ad illum. Malè igitur ſibi cauet aliorum Illuſtrium cædibus, aut cum his moriturо, aut ſine his uicturo. Vnde igitur tanta illa in Nerone crudelitas? apparet ex inſcitia ortam, ſi hæc non uidit, ſed & illud potiſſimum uidere debuit, ſtellas has cum longo illo crine gigni naturalibus de cauſis, quas explicant, hi, quibus talia indagare curæ fuit, quod autem naturalibus fit de cauſis, non portenti loco habendum, niſi forſitan commoueamur eo, quod raro uiſuntur, ſed non quodcunque raro fit, id portentum eſt: nam ſi ita eſſet, hermaphroditum gigni, aut tergeminos naſci portenti loco haberetur, raro autem uiſuntur, quia ea, quibus eorum ſit ortus, raro quoque concurrunt. Rectè ergo Veſpaſianus, cui quum ex amicis nonnulli renuntiaſſent iam pluribus continuis noctibus ſtellam crinitam fulſiſſe, quaſi ſaluti eius metuerent, irriſit qualecunque hoc oſtentum, & id non ad ſe dixit, ſed ad Regem Perſarum pertinere, qui bene capillatus eſſet. Octauia no quidem Cæſare initio potentiæ ſuæ ludos funebres in honorem Cæſaris dictatoris auunculi celebrante apparuit huius generis clarum & perlucidum ſidus ſub undecimam horam diebus ſeptem, id ille diuinitati Cæſaris aſcripſit, demum ſibi poſteriſque proſperum & ſalutare credidit: & omnino ſi quidem in talibus ominandum eſt, decet læta magis & iucunda, quàm triſtia ominari, docti autem uiri quandocunque appareant hæc cœleſtia ſigna, neutram in partem illorum aduentum accipiunt: norunt enim unde proficiſcantur, quatenus permanent, quomodo extinguantur, diſcutiunt rationе uanam ſuperſtitionem. Illud quoque oſtendit naturalium cauſarum cognitionem utilem Principibus, noxiam ignorationem, quod Niciæ Athenienſi, & Dioni Siracuſano contigit, (tranſeo nanque ad Græcorum exempla) Nicias Athenienſium Dux quum ualido exercitu Siracuſas obſidione premeret, mox uariis detrimentis acceptis non iam de uictoria, ſed ſua militumque ſalute ſollicitus abſcedere cupiebat, & clandeſtinam profectionem moliebatur, & ecce in ipſo profectionis articulo Luna repente noctu defecit, quo conſpectu adeo perturbatus eſt, & deterritus Nicias, ut conſilium ei deeſſet, quaſi tenebris mens eius obruta, non luna fuiſſet. Exiſtimabat enimaduerſo Deo ſe iter illud ſuſcipere, & magnam ſibi exercituique ſuo calamitatem denuntiari, eo quod paulo ante tam luminoſum ſidus ſubito obtenebratum extitiſſet: non enim nouerat Lunam illud perpeti ſtatis temporibus interiectu terræ inter ipſam & ſolem, quod ſi non philoſophica, at humana ſaltem ratione id quod factum fuerat expendiſſet, proſperum illud ſignum potius, quàm aduerſum iudicaſſet, quoniam clandeſtinam fugam meditantibus & fallere cupientibus tenebræ quàm lux aptiores. Verùm dum inani ſuperſtitione ob imperitiam detentus iter illud diſtuliſſet,

deinde diceret alterum Lunæ circuitum expectandum, usque eo desedit, sacrificiis quibusdam placans Deos, donec hostes auctis copiis castra eius circumuallarunt, qui denique ipsum oppresserunt, cunctumque exercitum deleuerunt, eaque clades grauiter (si quæris) Athenas affixit: Nam periit ipse unà cum quadraginta hominum millibus, ut cæteris in rebus memorabilis, & bellica olim gloria insignis. Non sic Dio, non sic, qui unus ex familiaribus Platonis, & ab eo philosophiæ imbutus præceptis, quum è Zacynto aduersus Dionysium solueret,& per idem tempus Luna defecisset, nihil ea re commotus cœptum peragens iter Syracusas applicuit, & eiecto Tyranno iura & libertatem ciuibus reddidit. Laudatur tali in re C. Sulpitius Gallus, qui quum tribunus militum secundæ legionis militaret in exercitu Pauli Aemilii consulis, quem aduersus Perseum, Macedonum Regem habebat, militibus in concionem permissu consulis uocatis, pronuntiauit nocte proxima ab hora secunda ad quartam usque Lunæ defectum, admonuitque ne id portenti loco ducerent: id enim naturali ordine stans temporibus fieri, & sciri antea & prædici posse, & ut sæpius uidissent non pleno semper orbe, sed exiguo quandoque cornu fulgere Lunam, nec tunc mirarentur, ita nec mirari oportere, si aliquando obscuretur, quum terræ umbra condatur. Quum deinceps, ut prædictum erat, Luna defecisset, milites Romani neutiquam perturbati sunt huiusmodi spectaculo, sed sermo inter eos manabat de Galli sapientia, quæ propemodum diuina illis uidebatur. At in Macedonum castris omnes affictabantur, ut prodigium, quod factum fuerat, accipientes, occasum regni, perniciemque gentis portendi opinantes, nec ante à clamoribus ululatibusque cessatum, quàm Luna in pristinum lumen rediret. Tantum interest scire, quo rem referri oporteat. Sed scientiam quoque naturalium rerum in re militari prodesse Imperatori ostendit C. Cæsar bello Alexandrino. Nam quum insequens Pompeium Alexandriam se contulisset infirmis præsidiis, eaque in urbe obsessus teneretur à regiis exercitibus, & aquæ inopia laborarent milites Romani, iamque fugam meditarentur omnes, quæ nec honesta, nec tuta esset, iussit confestim effodi puteos, asserens, quod aqua sequeretur, propterea quòd litora omnia naturaliter aquæ dulcis uenas continerentur, quod quum esset factum, magna ui aquæ inuenta exercitui suo subuenit: hæc exempla, qui uiderit, nonne Principem magis, quàm quenquam alium doctrina instructum esse censebit oportere? Tanta est in humanis sensibus procliuitas ad malum, tam faciles lapsus, ut arte opus sit, ut quis stet, nec cadat, nam priuatos multa continent ne pareant cupiditatibus, legum metus, uulgi existimatio, amicorum inimicorumque libertas, horum in exprobrando, illorum in obiurgando, demum tenues plerisque opes, ut nequeant quod cupiunt implere: nihil hæc ad Principem, qui nec leges, nec populum curat, non amicus adest, qui corripiat, non inimicus, qui coarguat, non etiam rei difficultas illum moratur, cuius nutum cuncta sequuntur. In tanta licentia uiuendi positus, mirum si non ostendit illud uerissime dictum fuisse, cui licuerit, quod uult, statim uolet, quod non licebit: Licentia enim (ut inquit Comicus) reddimur omnes deteriores. Magnum tunc fuerit, si sponte sua

uirtutis

uirtutis semitam uolet ingredi ascensu arduo, ac non præceps in luxum & rapinas feratur, quo illum & cupiditates humanæ & adulantium greges trahunt nullo reuocante. Aristoteles inquit in politicis, Magno opus esse studio iustitiæ & temperantiæ his, quos Poetæ fingunt insulas incolere fortunatas, ne in tanto illo ocio & abundantia bonorum petulantes euadant. Præclarè id quidem, quod tamen uerius competit in istos Principes, qui abundantes rebus iis omnibus, quæ beatos facere putantur, facilè corrumpuntur, & in quælibet uitia perducuntur, nec uero aliter contingere potest, quando existimantes se beatos nullam aut exiguam admodum curam suscipiunt honestatis. Res ipsa id indicat, non sermo uanus, nam è magno Principum numero, quos secula tulerunt, eorum, qui legitimè functi sunt hoc munere, nomina parua capere tabella posset, infinita autem est multitudo eorum quos læta & prospera stationis huius uicerunt. At quid tam din loquor? quasi declamatorio fungar munere: nec uobis partem ullam mutui sermonis relinquo, sed rapuit me impetus dicendi, & feruor quidam mentis aduersus eos proclinus, qui negant Principibus uiris scientiam non modo non necessariam, sed ne utilem quidem fore, nam contrariam sententiam meliorem esse ostendendum fuit, idque dum ostendo exemplis ex omni antiquitate collectis, incidi in hanc sermonis longitudinem: neque enim tanta res breuibus peragi potest, pluta etiam addi posse confiteor, quæ uobis meditanda relinquo. A L B. Tu uero nihil reliqueris meditationibus nostris. imò à te petimus, ut quicquid adiici iam dictis posse cognoueris, id proferre ne graueris, nec te longitudo moueat sermonis, nam non debet longum uideri, quod susceptæ materiæ tractationi conuenit, siue id ualeat ad docendum, siue ad ornandum, siue ad uberius commouendum. Non enim tam impetu suo proficit oratio, quàm mota, sicut nec ignis, nec imber, nec alia multa. Quod uero impudenter tibi uideris facere, quia solus penè loquaris, ac non in partem sermonis nos uoces, uel admittas, memento principatum tibi huius sermonis traditum. Itaque perpetua oratione utaris licet, si uidebitur, posthac. M A R. Mos Dialogorum hoc habet Alberte, ut misceantur sermones, nam & si quispiam è cœtu dux statuatur sermonis, potest alius tamen contradicere his, quæ dicuntur, ut obiecta diluantur. Licet quærere ignoratum aliquod, nec non fas est confirmare iam posita, & adiicere pondus auctoritatis suæ. Interrogari etiam à dicente quilibet audientium potest, ut necesse tunc sit ei, qui interrogatur respondere. Aristoteles in libris, in quibus summam adhibuit diligentiam, & quos ab eo editos sine ulla dubitatione constat, non utitur huiusmodi collocutionibus, sed ipse perpetuo loquitur, nec utitur procemiis, aut ullis aliis sermonibus ad iucunditatem, sed statim rem aggreditur, & assidue urget, nec oscitare lectorem patitur, ipse quæstiones sibi ipsi proponit, idemque dissoluit. Eius magister, Plato Dialogos est sequutus, quanuis philosophicas res tractaret, nec ulla refugit ornamenta dicendi, fusus in omni sermone, & præstitisse eloquentia putatur omnibus, quorum extant monumenta literarum. Hunc imitatus Cicero, quum philosophiam græcis antea literis tantummodo explicatam cuperet latino ipse sermone illustrare. Nam collo-

colloqutoribus utitur, rem peragens lectoribus (ut opinor) non ingratam. Nec defuerunt postea nec nunc etiam desunt periti homines, & in disciplinis plurimum uersati, qui studeant Dialogos componere, & uulgo legendos tradere: quum enim animaduersum esset hanc uarietatem mixturamque sermonum, quæ inter plures habetur, in comœdiis tragœdiisque admodum placere, hunc eundem morem docti uiri ad res graues & serias transferendum sibi esse existimauerunt, non ut uoluptatem tantum nudam & inanem præstarent, sicut tragœdi & comœdi solent, sed ut cum uoluptate facerent prouentum. Nam fueeram grauemque lectionem plerique refugimus, nisi iucunditate quadam condiatur. Ergo iucunda in dicendo miscendam sunt grauibus, neque id sine exemplo: nam medicos uidemus idque secundum artis præcepta, moliri multa ad suauitatem erga ægrotos, ut istis asperitatem temperent remediorum, quin ipsa etiam natura patens tristibus læta immiscuit, ne illa opprimerent, si perpetua fuissent. Ergo postquam hoc in sermone, qui de doctrina Principum institutus est, id suscepimus, ut inuicem colloqueremur, idque hactenus fecimus, idem in mediis & postremis partibus censeo faciendum. Nam & iucundior fuerit sermo hac uarietate colloquutionnm temperatus, & mihi quoque gratior, qui per interualla cupio conquiescere. BAP. Postquam id Marce appetis, non deferemus partes nostras, tuisque sermonibus nostros implicabimus, ut pro hoc Alberto pariter respondeam. Veruntamen si recte animaduerti, non multum tibi restare sermonis intelligo. Nam & argumenta allata sunt plurima, quibus ostenditur, quod propositum fuit doctrinam recte imperare cupientibus non modo utilem, sed necessariam quoque fore, deinde obiecta fortiter diluisti, exempla etiam sapienter attulisti, ut rem ipsam oculis quodammodo subiecisse uidearis. Hæc ego sufficere arbitror, nec quid adii ci possit, teneo. MAR. Si id tantum inspicimus Baptista, quid sit, quod res, de qua quæritur, necessario postulat, ut doceatur, satis dictum existimo, nec alia opus esse adiectione: Sin autem illud contemplamur, num omnia posita sint, quæ ad ornatum faciunt, & corroborationem iam dictorum, dubitare tunc cogar, nec unquam id affirmare uellem. Video nanque artifices tam & si rem se perfecisse arbitrentur, opus tamen adhuc suum expolire & manus addere, certe pictores ipsi multa addunt extra ordinem, quibus illa primum elaborata effigies, quæ est in tabula Princeps, gratior reddatur & ornatior: quid igitur prohibet, quin huic sermoni accedere possint plurima, quæ rem ipsam magis augeant & illustrent. ALB. Si igitur accedere iam possitis, putas posse plura, da operam, ut ea nobis exhibeas, nec in aliud quæso differas tempus. MAR. Faciam, quod uos uelle uideo, utroque tamen uestrum interloquente, ubi uisum fuerit. ALB. Sic fiet. MAR. Terret me nunc Alberte solitudo bonorum Principum, nam si hic sermo in uulgus exierit, metuo discerptionem à malis, qui contra se hæc cogitata arbitrabuntur. ALB. Quid hoc ad te Marce, si sermo tuus discerpatur à malis? MAR. De me ipso metuo Alberte, ne discerpar propter sermonem; nam de sermone ipso nihil laboro. ALB. Sermo iste inter amicos paucos fit, qui non exerit foras, nisi te permittente: quanquam etiam si

exierit, nihil tibi censeo metuendum, nam aut docti erunt Principes, & hi te magis de his sermonibus amplectantur: suum enim iudiciuum tuo comprobari gaudebunt. Sin indocti fuerint, ne ista quidem, quæ non mediocrem doctrinam redolent, audire aut legere curabunt, & ut cætera literis tradita, ita hæc quoque contemnent.

MARCI ANTONII NATTAE ASTENSIS,

DE PRINCIPVM DOCTRINA LIBER QVARTVS.

MARCVS.

EI IGITVR Principi, qui nolit unus esse de multis, sed paruum bonorum Principum numerum augere, suadeo ego, imò ratio ipsa suadet, ut libris utatur, quãdo alia desunt subsidia: illic sapientiæ hauriet fidissima atque certissima præcepta. Illic discet rationem eius, quod modo dicebatur, cur omni æuo tam rari fuerint boni Principes, & inueniet oportere Principem sibi ipsi primùm, deinde aliis imperare. Maximus nanque & difficillimus est principatus sui ipsius, quo efficitur, ut insitæ nobis cupiditates rationis obediant imperio. At necessarius est ei, qui hunc secundum, qui est ad cæteros, rectè gesturus est: non enim, qui sibi ipsi est malus, cæteros efficiet bonos, nec qui iniustus in se est, iustior erit in alios: nec dignus sanè, ut liberis imperet hominibus, qui turpissimis ipse seruit cupiditatibus. Virtus innoxia est, at uitiosa libido sine alieno incommodo implere nequit, quæ tanto perniciosior in Principe, quanto latior, & quod non solùm facto lædit, uerùm etiam exemplo: nam malos Principis mores multitudo ferè omnis sequi solet, quod si externos hostes multi facillimè, cupiditates suas pauci frangere potuerunt, quid mirùm, si quod in uniuerso hominum genere rarum semper fuit, id in uno Principum ordine rarius adhuc elucet? sed quo rarius, eo si contingat præclarius: contingere autem uix posse arbitror, nisi quod in nobis naturæ lumen est ad honestissima quæque, & iustissima prosequenda, id à doctrina & ab ipsis literarum studiis incendatur. Quanta orationis copia, quàm admirabili incredibilique dicendi genere uirtutis uim, decus, splendorem summi homines græci & latini nobis expresserunt? qua sententiarum grauitate uitia notauerunt? quàm ualidis firmisque argumentis nihil utile fore, nisi quod honestum esset docuerunt? quàm denique multas iustorum Principum effigies non ad spectandum solùm, sed imitandum quoque illi reliquerunt summo eorum ingenio expressas & politas? hæc assidue tractans animus & in his uigilans pernoctansque curis fieri non potest, quin recti studio & cupidine ueræ lau-

dis

dis incalescat, & se ipso indies fiat tanto melior, quanto maiora illa & sanctiora arbitratur. Hæc sunt firma illa & fixa munimenta, quibus corroborans se inclitus Princeps assentantium uoces repellat, & studeat non æquè potens ac iustus uideri. His gloriam, his caritatem ciuium, his tranquillitatem animi consequetur. Quod si non tantus fructus è literis ostenderetur, sed honesta tantum oblectatio peteretur, quæ fessum negocijs animum exciperet, tamen iusta causa, cur se illis Princeps daret: non enim parum iucundum est rerum causas scrutari, cœli terrarumque descriptionem tenere, maiorum gesta uelut ante oculos depicta uidere, & ingenia eorum contemplari, qui in dicendo graues admodum ac suaues fuerunt, denique nihil scientia magnarum rerum delectabilius, qua perfusus animus uelut cœlesti quodam pabulo saturatur, hac ut fruerentur plurimi & corporis uoluptates, & diuitias, & honores abiecerunt, existimantes se minus iucundè uicturos, si his dediti illam præterissent: cæteræ res, neque ætatum, neque temporum, neque locorum sunt omnium, at studia literarum adolescentibus & senibus, priuatis & magistratibus, domi manentibus & peregrinantibus, prosperè & calamitosè agentibus, aptissima sunt, nusquam ingrata, nunquam importuna. Hæc igitur nolim Principem abijcere, præsertim quum magna illa & grauis commendatio in uulgus sequatur Principem doctrina pollere. Num existimas Alberte hanc nullam aut paruam esse commendationem, ubi hic sermo celebratur in multitudine, Principem doctrina omni abundare? aut si ea est quædam, an non prodesse Principi putes hanc existimationem hominum atque famam, ut ob id se facilius illi regendam committat multitudo? quod plus cæteris sapere uideatur. A L B. Ego & magnam esse commendationem hanc in Principe doctrinæ & non leuiter & ipsi & imperio prodesse puto. M A R. Magnus tunc sanè campus substernitur Poetis & Oratoribus, ubi talem inuenerint Principem, quem ueris laudibus extollere possint. Vis ne Alberte aduocem nunc Poetas & Oratores omnes, ut dicant ipsi nobis, uel nos ipsis potius dicamus, quod potissimum sequantur ubi Principem cupiunt commendare? A L B. Aduocare potes, sed ubi id feceris, iam prædico tibi neminem eorum huc hodie uenturum. M A R. Fingere tamen possumus, si non omnes at quamplurimos huc aduocatos uenisse & adesse. A L B. Nihil negocii est id fingere. M A R. Ergo ad eos, qui conuenerint, hanc habebimus orationem. A L B. Quam? M A R. Ita enim ad eos dicemus. O præstantissimi uiri, quorum ea est cupiditas claros uiros attollere facultate dicendi, cui præcipuè incumbitis: unde libentius laudatis Principem? Nam ubi formam egregiam corporis: ualidum membrorum robur, uetustatem generis & nobilitatem, opes, imperia, diuitias, potentiam, honores, uictorias, triumphos profertis, non Principem, sed fortunæ erga Principem benignitatem laudare uidemini. At Princeps tunc ipse laudatur, quum magnanimum, iustum, religiosum, liberalem, clementem describitis, his tot & tantis laudibus, ubi additur Principem magnarum artium scientia subnixum esse talem, tunc planè perfecta redditur, cumulataque laudatio, quia apparet uirtutum illarum stabile fixumque fundamentum, in prudentia scilicet collocatum, nec casu

bonum esse Principem, sed iudicio: æquari tunc cælo Princeps & longe lateque supra cæteros mortales efferri uidetur, quum totis & tantis animi bonis collocupletatus ostenditur, quæ non fortuito infixa sibi, sed ueluti ex arte comparata obtinet. Maximè uero eloquentiam, qua uos maximè oblectamini, Principibus uiris conuenire putatis. Quid est illud, quod Pelignus Poeta ad Germanicum scripsit Cæsarem? Memora mihi Alberte carmina illa si tenes. A L B. Credo à te Marce illa desiderari carmina, quæ sunt initio Fastorum descripta. Nam Germanicum alloquens Cæsarem inquit.

Quæ sit enim culti facundia sensimus oris,
Ciuica pro trepidis quum tulit arma reis.
Scimus & ad nostras quum te tulit impetus artes,
Ingenii currant flumina quanta tui.

M A R. Hic, ut opinor, laudare cogitat, non uituperare, neque laudaret, nisi pulcherrimum quid esset in Principe grauis & ornata dicendi facultas, pollens non solùm oratione soluta, sed etiam carmine. B A P. Me uerò etiam delectat plurimum idem Poeta, dum inducit Iuleum iuuenem, idest imperatoriam sobolem declamatorio sub præceptoribus fungentem munere.

Status est (inquit) uultusque diserti.
Post ubi pulsa mora est, atque os cœleste solutum.
Hoc superos iures more solere loqui.

Idem Poeta in eisdem de Ponto libellis, dum criminatoriam cuiusdam consularis commendat eloquentiam, illud intulit.

Verba uelut tinctum singula uirus habent.

Solent illa in prouerbiis uulgo iactari, eloquentiam tristem non esse, & musicam in luctu importunam esse narrationem. Hic tamen in illis suis tristibus bonos & sonantes effudit uersus, & uicino iam fato dulce quiddam & suaue cantauit. A L B. Nosti Baptista carmina illa de Cigno:

Dulcia defecta modulatur carmina lingua
Cantator Cignus funeris ipse sui.

Hæc idem contigit huic Poetæ, ut dulcè quiddam caneret in eius funere: nam infœlicem quoque illam & grauem relegationem ab urbe ad arctos usque, & sub ipsa Cynosura funus ipse suum uocare solet. M A R. Et si omnia, quæ extant huius Poetæ, præclara sunt admodum, omnibus illita ingenii luminibus, tamen quæcunque scripsit in illo suo calamitoso exilio, ualdè placere solent, & ea senties Alberte ab eruditis eximiè commendari: qua cogitatione inductus, quum Poeta iste infœlicitatem exilii in asperis & inhumanis locis efferas inter gentes uersibus musarumq; cantu leuauerit, illud possum uerissimè dicere, literarum studia, ut nihil in secundis conferant rebus, in aduersis magnum præstare solatium, & penè omne esse leuamentum malorum, iccirco in summo fastigii culmine constitutis, quibus alterius fortunæ impulsu grauiores imminere solent lapsus, magis atque magis tenenda. Dionysius Iunior, quum tyrannide Syracusarum excidisset. Interrogatus quid sibi philosophia Platoque profecisset, hoc inquit, quod tantam fortunæ mutationem facilius fero. Si id ille uerè dixit, ininsto uiro literarum studia nonnihil profuerunt. Sapientem uero uirum quomodo in

asperis iuuabunt? ut hæc ille ludibria fortunæ pro nihilo habebit? ut sæuientis tempestatis non modo procellas, sed ictus etiam & fulmina contemnet? præsertim quum nulla calamitas peccato suo accidere illi possit, nam peccatum uix recipit consolationem. De hoc Dionysio mihi uenit in mentem plura dicere, si uos patiemini, nec molestum putatis. ALB. Quin tu dicis quicquid occurrit: non enim nostrum est præscribere tibi quid aut quomodo loquaris, sicuti nec pictori præscribendum est à spectantibus, quomodo unum quodque pingat, sed ei permittendum, ut ad tabulam suam iam penè elaboratam addat arbitratu suo, quicquid addendum putarit. MAR. Is ergo Dionysius, si quo tempore opes habebat, cordis etiam aliquid habuisset, potuisset Platonis opera & manu de Tyranno in præstantissimum refingi Principem, multamque sibi & cæteris fœlicitatem parauisset, sed renuit pan fortem obliterationem morum suorum. Erat enim ueluti liber qui dam mendosissimè scriptus, qui non alicubi adiecta nota corrigendus esset paucis lituris, sed unica duntaxat litura, eaque perpetua totus erat inducendus. Maluit Assentatorum uoces audire, quàm pristinos mores deponere: Illi enim (ut mos est talium) Dionysium adhuc iuuenem in amores: compotationes, & alia ludicra impulerant, ita ut regia tota ebrietatibus, symphoniis, canticis, saltationibus, choreis, stultiloquiis repleretur. Sed quũ Dio amicorum primus hortaretur Dionysium, ut uanis illis & insulsis depositis cupiditatibus uirtutem capesseret: daretque operam Platoni summo uirtutis & omnis sapientiæ doctori, demum id ageret, ut iustè regnaret, cæterisque legitimi imperii exemplum præberet: & Dionysius his auditis ostenderet melioris uitæ cupiditatem, & ea de causa ascitus Plato uenisset, insurrexerunt iidem, qui solebant, & Dionem accusant affectatæ Tyrannidis, illum id agere, ut Dionysius reiecta decem millium satellitum custodia omissis quadringentis nauibus, tribus equitum millibus, infinito peditatu, maximo auri & argenti pondere, taciturnum quoddam in Academia scrutaretur bonum, & in speculationibus Geometricis fœlicitatem possideret. Interim Dio ueram illam fœlicitatem regiarum opum eiecto Dionysio occuparet. Hæ assentatorum uoces in animo Dionysii iamdudum corrupto praua luere. Aestimans nanque magno præsentes Tyrannidis delitias, & cætera, quibus uitiosè fuerat innutritus, ea retinere cupiebat, nec à se abscindi medica manu patiebatur, & pronus erat ad suspiciones contra se suscipiendum. Itaque & Dionem expulit, qui ille opimè consultum cupiebat, Platonem contempsit, quem antea fuerat ueneratus, & disciplinam omisit, qua maximè egebat. Hæc forsitan extra curriculum propositæ quæstionis uidebuntur posita. Tu tamen Alberte, num existimas, ut sint extra causam, posita sine causa fuisse? ALB. Minimè sine causa: nam coniuncta sunt superioribus, & ea operæpretium fuit cognoscere. MAR. Ego Alberte illas Assentatorum uoces ad Dionysium factas duorum causa retuli. Primum, ut intelligatur, quod nihil æquè Assentatores pugnant, quam ne magnatum & honestarum artium doctrina Principes imbuantur. Vident enim in legitimo regno nullas illis partes fore reliquas. An non audisti huc Assentatores incubuisse omni conatu, ne Dionysius Platoni daret operam, suasissẽque Philo

sophiam

ſophiam regnantibus eſſe contrariam, ut quæ non fineret eum, qui præceptis illius obtemperaret, ſui iuris eſſe, & cupiditates ſuas regias explere? A l b. Audiui equidem. M a r. Nec tamen omnino a literis abſtrahebant: Nam de Comædorum et Tragædorum uerſibus magna ſæpè imminebat eis aduerſus Dionyſium contentio, utrum uerbum aliquod in carmine rectè eſſet poſitum, uel ſententiola quæpiam quadraret, eaque pugna nōnunquam de prima nocte inter uina in lucem protrahebatur. A l b. Quid Geometrica, nonne illum etiam tractare permittebant? M a r. Permittebant, ne in omnibus uiderentur cupiditatibus eius contraire, & ipſi quoque eorundem ſtudiorum imitatione ſimulabant ſe teneri. Itaque quo tempore Dionyſius Geometricis animum adiecit, nullus ſermo, niſi de circulis, ſemicirculis, triquetris, ſexangulis, octangulis, & aliis figuris & imaginibus inter eos habebatur, omniſque regia alto puluere obducta erat. Vbi ad compotationes & amores tranſiſſet, illa abierunt omnia, & epulæ conuiuiaq; celebrebantur. Sed poſtquam de morum mutatione agi cœptum per Dionem Dionyſii propinquum, tum planè inſurrexerunt illi, & apertè contenderunt, ſuadentes in eiſdem manendum moribus ſi regnare uellet: Verebantur enim ne legitimo ſuſcepto imperio nihil ipſi poſſent, & hæc prior eſt cauſa cur hæc mihi dicenda exiſtimauerim: ut ſcilicet intelligeretur Aſſentatores id agere, ut ab honeſtis abducatur diſciplinis Princeps, quia per eas metuunt ſe ab omni reip. functione repelli. Accipe nunc alteram. A l b. Dic. M a r. Dico alteram cauſam fuiſſe, ut iſta de Dionyſio & eius Aſſentatoribus proferrem, quia ſub exemplo perſpici cupiebam, qua uia graſſentur Aſſentatores in Principes. Concedis opinor Alberte in humano animo duas eſſe partes, quarum una rationis eſt particeps, quæ honeſta & iuſta aſſidue proponit, nec quicquam præter ius faſque cogitare aut aggredi hominem ſinit. Altera pars eſt rationis penitus expers ad omnem libidinem intempetantiam, iniuſtitiamque procliuis. A l b. Noui equidem hæc. Vna enim pars in homine rano eſt, altera appetitus. M a r. Si id noſti, illud quoque noſſe debes utra earum partium potior ſit, & ubi iubent contraria, cui ſit magis parendum. A l b. Quis dubitauerit, quin appetitus rationem ſequi & ei Audiens dicto eſſe debeat? M a r. Quid ſi hunc appetitum, quem in altera animi parte collocauimus, & præcipitem cœcumque ferri in quælibet dicimus, ut potè rationis expertem? familiarium & domeſticorum aliquis foueat, alat, augeat, incendat, adiuuet demum eius conatum conſilio, re, opera, nonne robuſtiorem reddet, & ferociorem, & intolerantiorem, ita ut rationi rectà ſuadenti reſiſtat, & eius præcepta negligat, nec audire curet? A l b. Prædicas, quod futurum eſt: Non enim humanus appetitus circunſtantium uocibus corroboratus tenebit ſe, ſed longius progredietur, irruet, & infeſtis ueluti ſignis aduerſus rationem conſiſtet, eamque quantum poterit, deuciet, atque etiam conculcabit, donec ſe ipſum expleuerit, & quod turpè concupierit, turpius aſſequatur. M a r. Quid autem cauſæ ponimus Alberte, cur homines non ſolùm in ſe ipſis, ſed in aliis quoque appetitus potius partibus adſint, quam rationis: contra enim fieri oportebat. A l b. Oportebat quidem ſi honeſtatem reſpicimus, ſed reſpiciunt homines

mines ea magis, quæ in præsens suauia sunt & utilia abiecto uirtutis decore. Tu huius rei nuper causam aperuisti, dum dicebas procliues nos esse ad ea, quæ iucunda sunt sensibus, tanquam magis ea sint obuia magisque nota. Virtutis autem uia ardua est & excelsa, aspectu tetra & formidosa, nulli ad eam sensus corporis ferunt, imò potius ingredi recusant. Itaque si quis ad uirtutem adhortetur, non minus illi laborandum, quàm si aduerso flumine ratem trahat, uel ad superiora graue pondus impellat, hinc etiam fit, ut pauci ad uirtutem sint adhortatores, pauciores, qui adhortationem hanc suscipiant. MAR. Rectè dicis Alberte, idque magis elucet in Principibus, quorum appetitum tanquam ferox & indomitum animal contra quam fera tur, tractare ratione atque uersare non est qui audeat, ne in iram in se concitet furentis beluæ, & pro honesto consilio pœnas luat: Si quis autem audeat, hunc uirum putato. Facilior autem est impulsio ad ea, quæ sensibus lenocinantia Princeps sponte sua appetit, & prima ducit. Sed num eos, qui hoc suscipiunt, ut leues & temerarios & iniustos animi motus titillent, foueant, augeant, impellant, lædere an iuuare dicemus? ALB. Lædere profectò, & uehementer quidem. MAR. Lædere autem num amicorum esse putas? ALB. Minime. MAR. Non ergo isti amici sunt, qui cupiditates iniustas Principum suscipiunt easque corroborant, si quidem lædunt. ALB. Non. MAR. Quid ergo erunt? an non Assentatores eos esse dicemus? ALB. Quid ni? MAR. Assentantur enim ei parti animi, quæ imbecillissima est, & in omnia deuia propensissima. ALB. Ita est. MAR. Idque paruo negocio efficiunt, nam facilius est impellere iam commotum, quàm commouere languētem, ne dicam obsistentem. ALB. Negat nemo. MAR. Appetitui igitur Principum inani & cæco auxiliantur Assentatores sermonibus suis, idque facile est animaduertere. Sed nonne illud quoque animaduertis, quod ab hoc eodem Principum appetitu, cui suffragantur, ipsi uicissim sumunt auxilium potentiæ suæ: nam non æquè alios euehunt Principes ad honores & diuitias, quàm hos, qui eorum cupiditatibus indulgere norunt: non enim inueniunt in istorum sermonibus aliquid, quod eos urat aut mordeat, sed quantum in illis est, secunda pacataque omnia. Fit etiam plerunque, ut natura faueamus his, qui iisdem sunt moribus. Hinc Neronem legimus honores mandasse nonnullis ebriosis, non aliud sequutum in eis, quàm hoc ipsum, quod ebrietati studerent. ALB. Fortasse credidit Nero magnam uirtutem esse bibacitatem, hancque ipse in primis colebat. MAR. Si id credidit, Græcorum morem iudicio suo comprobauit. Illi nanque eum, qui plurimum hauriret meri, ualdè commendabant, spectatuque dignum ducebant, quod nimis largè fecit Socrates in Platonis conuiuio, ubi compotores omnes tota nocte bibendo superauit: quanquam Demosthenes Philippo Regi Macedonum obtrectans, qui laudatus fuerat, quod plurimum bibere posset, dixit hanc laudem propriam esse spongiæ, non hominis. Verum ut ut ista penes Græcos se habuerint, Romani nunquam hanc turpitudinem admiserunt, quos penes, fœminas temeto abstinere mos erat. Legimus etiam de Bonoso Imperatore, qui quum uini capacissimus esset, & eiectus imperio, seu quod dolorem non ferret, seu quod asperiora

asperiora ab hostibus metueret, laqueo se de arbore suspendisset, dictum fuisse in eum iocularitter à prætereuntis, lagenam uini pendere, non hominem. Sed bibacitatem omittamus. Quid si Princeps iniustus fuerit, rapax, crudelis, nonne iisdem uirtutibus præditos ciuitatibus & prouinciis, quas sub se habet præficiet? & quanta tunc pernicies populis impendet? Hoc idem indicat Nero, qui quum suis prouinciam dabat, cum his mandatis ab se dimittebat, ut omnia raperent, auferrent, nec cuique quicquam relinquerent, quoniam paupertati suæ subueniendum esset, ergo magna sunt in potentia Assentatores penes iniquos Principes, his omnia committuntur, per hos geruntur. Imò audeo dicere hos esse supra ipsos Principes: nam horum dictis, inuentis, cogitatis illi obtemperant: quid frontem contrahis Alberte? Principes inquam cupiditatibus suis iam antea captos & deuinctos Assentatores trahunt quacunque lubet, nec intelligunt illi se turpissimis seruire hominibus, tum maximè, quum se cunctorum putant dominari. Sed de his dictum sit satis. ALB. Satis si ita uidetur. MAR. Possumus tamen adhuc addere aliqua finitima iam dictis. ALB. Quæ nam ea? MAR. Dicam. Postquam Platonis & Dionysii illata est mentio, quorum, alter ætatis eiusdem Philosophorum omnium sapientissimus fuit: Alter Tyrannorum potentissimus. Si sapientia & potentia in idem non ueniant, sicut fieri debe re assero, sed separatim agant, quemadmodum in Platone & Dionysio egerunt, & horum alterutrum possidere tantum liceat: quid horum duorum quis sibi magis optauerit? potentiam ne an sapientiam? Vtraque omnino magnifacienda. Itaque magni uel maximi potius fuere, quibus contigit ambas possidere, sed paucis contigit: coniunctas rarò uidere secula: disiunctæ facilius reperiuntur. Quomodo autem haberi possint, non est nunc dicendi locus. Illud certissimum est uoto frustra peti. Sed quid fiet si ab Omnipotente Deo libera detur optio, utranuis sumendi (liceat sic fingere) quam duarum magis quis deligat? & ut planius adhuc loquar, non discedens à personis, quas modo proposui, Interrogo utrum Platonis malit quis se esse similem an Dionysii? Tu Alberte tali optione proposita utrum duorum magis deligeres? ALB. Rectè me & ordine interrogas Marce. Non est nunc (ut opinor) de religione quærendum, nam si hanc respicimus, neutrius optauerim conditionem. MAR. Non agitur nunc (ut ais) de religione, nec illud uenit in disceptationem, quam sibi fortunam quisque magis optauerit, Christiani an infideli: quis enim negauerit Christiani hominis uitam quibuslibet alterius fortunis præferendam? Sed infidelem infideli comparamus. Remotis igitur religionis iuribus, quæro de te, si temporibus illis natus esses, & inter nationes eas degere contigisset, quæ Christum ignorabant, utrum malles te Platonis an Dionysii similem. ALB. Rectè (ut dixi) me interrogas. Ego magis facerem Platonem cum studio illo atque doctrina, non modo quam istum unius insulæ dominum, sed alium quemuis maria omnia ac terras regentem. Sed memento hanc interrogationem non esse passim, & ad omnes faciendam. Plures enim supellectilem magis Dionysii, argentumque cœlatum æstimarent, quam totum hunc Philosophum, qui Academiæ spacus inclusus uix famem frigusque pellebat. MAR. Licet tamen

men quid uterque ageret speculari, & ex eo perpendere, utrius uita, nobilior, elegantior, utilior, iucundior, suauior, & iudicare deinceps, quàm quis ponus sanæ mentis homo optauerit sibi & optione data deligeret. Alter in epulis uino, lustris, ganeis, cædibus, rapinis assiduè uersabatur, metuens Tyrannidi, ne quid pateretur, uiuebat cum fugitiuis, cum barbaris, cum facinorosis. Neminem, qui libertate dignus esset, amicum sibi arbitrabatur. Alterius uero mens indagandis perspiciendisque rebus cum earum causis & rationibus indies alebatur, satagens uidere cælestia terrestriaque omnia, unde inciperent, quomodo progrederentur, in quæ desinerent, & inter hæc naturæ omnis conditorem perspiciens Deum, omnibus insidentem, & supra omnia stantem, cunctaque mortalia & immortalia nutu regentem & moderantem. Ad hæc maximo & intentissimo studio homines ad decus, ad uirtutem, ad honestatem hortabatur. Quàm multa ille de iustitia, temperantia, frugalitate, fortitudine, pietate, religione dixit? nec dixit modo, sed etiam scripsit, nec scripsit tantum, sed etiam edidit ad totius posteritatis fructum? Huius uitam, qui non optabilem esse dicit, & Tyrannicam illi præfert, hic sanis corruptus bonis, gustum ueræ laudis ueræque suauitatis amisit. A L B. Est ita profectò, nec aliter iudicaretur sitestimonio meo & fratris tui staretur. M A R. Non conquiro nunc testimonia, sed rem ipsam expendo. Perspicuum est enim, si à Deo cuiquam detur optio sapientiæ uel potentiæ, sapientiam magis eligendam, quàm potentiam. Nam potentia sine sapientia, & si multitudini prodesse nequeat, cui coercendæ & moderandæ potentia est opus, prodest tamen & ipsi sapienti, & alii cuicunque, qui eius uocem audire uoluerit. Potentia uero sine sapientia non modo inutilis est, sed etiam perniciosa, nec ipsi modo perniciosa, qui eam habet, sed ciuibus & populis uniuersis, qui sub ea degunt. Quis prætera mentis compos dubitauerit bona, quæ propriè sunt hominis, præferre iis, quæ circa hominem sunt? At sapientia animo infixa proprium hominis bonum. nam hac redditur homo melior, non imperio & potentia, quæ extrinsecus obueniunt, & nihil ad eum pertinent nisi cura & administratione. Quamobrem Platonem dicimus Dionysio anteponendum, ad quem ille accessit, non ut seruiret, sed ut seruaret, quod etiam præstitisset, nisi Dionysius maiorem cupiditatum suarum rationem, quàm salutis habuisset. Quid de Pythagora, Democrito, Socrate, Zenone, & plurimis aliis præstantibus Philosophis dicam? qui non solùm naturalium rerum rationes inspexerunt, sed multos etiam ad tectius uiuendum excitauerunt, & leges populis scripserunt, & rebus etiam publicis utiles se præbuerunt. Quæ regna, quæ opes possunt eorum studiis & cogitationibus anteferri? At non modo istos uiros, quorum doctrina fuit peregregia & singularis, sed, ut ad leuiora ueniam, Homerum eiusdem tempestatis regibus præfero. Illi nihil habebant, quo magis nobilitarent Poetam. Alter suum & multorum nomen in æternitatem penè uersibus suis propagauit. Eadem de Thucydide, Herodoto, Salustio, Liuio, reliquisque historiarum scriptoribus dici possunt: effectum est enim horum cura & diligentia, ne superiorum temporum gesta laterent, & ut exempla multa ad res commodius gerendas ueluti

ante oculos depicta haberemus. Veniamus ad nostros, ne externis conten ti domestica negligere uideamur. A L B. Sic quidem faciendum censeo, il lo etiam addito, quod maiori uoluptate te de nostris loquentem, quàm de Romanis Græcisque audiemus. M A R. At qui Alberte Hieronymum, Augustinum, Ciprianum, Basilium, Chrysostomum, Gregorium, Bernar dum, Leonem, & reliquos eiusdem generis ecclesiasticos Doctores, qui non solùm eloquentia doctrinæque opibus locupletati, uerùm etiam pieta te in Deum, & uitæ sanctitate insignes fuerunt, pudet cum sceptra tenenti bus, qui detenus uixerunt, conferre. At Eusebius Cæsariensis, qui eccle siam texuit historiam, & qui pro Euangelia multa aduersus gentes conscri psit: Lactantius quoque Firmianus Constantii Cæsaris præceptor, qui eo dem calore idem argumentum tractauit, sed uberiore fluxu dicendi, quàm clari sunt? quàm omnibus in ore? quantum utilitatis inuectum in posterita tem horum studio uidemus? & quid agi per eos splendidius potuit & fru ctuosius, quàm quum religionis nostræ iura aduersus idolorum cultores de fenderent & comprobarent? Possum addere Tertulianum, qui multa con scripsit ad religionem nostram pertinentia, tum uero Apologeticum egre gium aduersus gentes, quo nihil subtilius & acutius excogitari potest. Non omitto Petrum scholasticæ scriptorem historiæ, qui tanquam hauriret om nia, & magnæ esset gulæ in literis, comestoris nomen adeptus est, multa digessit iste, protulit, non mediocrem Dei ecclesiæ fructum ferentia. B A P. Quin tu potius nobis alterius Petri Theologorum maximi mentionem fa cis? nam hunc in hoc sermone præterirum non oportuit. M A R. Minime oportuit, et rectè tu mihi huius memoriam suggessisti. Istius nanq; in immē sum nobilitati labores, qui sanctorum dictis colligendis certissima Theolog iæ iecit fundamenta, ex quo sententiarum magister uulgo nuncupatur, perinde ac si rem sibi sumpsisset, uerba cæteris reliquisset. Hic Theologorum pater, nisi fuisset, Christianæ fidei disciplina quodammodo erraret, sed per hunc collecta, et in ordinem quendam redacta fuit. Ita deinceps consequu ti ingeniosissimi multi, qui eisdem in uestigiis consistentes libris omnia re ferserūt. Nostis hos nouitios Theologos, quos nonnulli scholasticos, alii Pa risienses uocant. Hi assiduè sententias Petri commentantur, & morem quen dam suum probandi tenent, omissa omni uerborum pompa, inter quos di uus Thomas Aquinas emicat uelut inter ignes Luna minores. Quis omniū istorum in remp. Christianam merita possit dicendo æquare? Certè meriti sunt amplius, quàm ulli reges, qui corpora, urbes, agros de hostibus ca ptos Christiano nomini adducere potuerunt. Isti uero, mentes hominum in fidei potestate tenuerunt, quas à fœdissimis erroribus liberauerunt, & ad æternæ salutis iter docendo uerterunt. Hæc persequutus sum, ut intelligen tes nostri Principes literarum studia diuitiis quibuscunque & imperiis & re gnis anteponi, deponant aliquando supercilium, nec intumescant ob po tentiam, sed remoto scientiæ bono multis se inferiores arbitrentur, qua de re probo Aristotelem, qui ad Alexandrum quandoque scripsit, non iis tan tum esse gloriandum, qui imperio abundant, sed iis quoque, qui Deorum immortalium naturam, uim, potestatemque cognouerunt. A L B. Ita ne

uero

uero ad Alexandrum ille scripsit? MAR. Scripsit, si Plutarcho Cheronensi creditur: nam eo auctore id profero, non quo in epistolis Aristotelis, quæ nunc extant, inuenerim. Quid autem desiderem in istis Principibus, iamdudum perspicuum est. Volo autem ipsos ad hæc fortunæ munera minoris existimationis maius illud & uberius scientiæ bonum adiungere, quod quum priuatos ornet & reddat gloriosos, quanto uberiori laudet & gloria locupletabit Principes? Multum ualet scientia literarum absque principatu: principatus autem, quid sine tali scientia possit efficere, haud facile dixerim, quin si dicendum est, quod sentio, tantum abest, ut prosit, ut potius noceat habenti. Vis ne Alberte, ut dicam, cur nocitutum putem, similitudinemque adiungam? ALB. Volo equidem: nam & si iam multa sint dicta, hoc etiam confirmabit superiora. MAR. Ego ubi rudem & imperitum uideo Principem regendæ ciuitati, aut prouinciæ præpositum, huc statim adducor, ut credam hoc ei perniciem illarum, nam non ad multitudinis (ut oporteret) commodum uolet uti principatu, sed ad suum, atque insicienter ipso utens principatu multas calamitates & iniurias ciuibus inferet, & aliorum detrimentis potentiam exercebit, seque nequissimum nocentissimumque præbebit, infinitisque criminibus fœdabit, idque ut similitudine quadam (sicut pollicitus sum) illustrem. Si uideat quispiam nauem necessariis rebus instructam, & ad cursum paratam: præsit autem ei rudis & imperitus gubernator, dubitabit ne quid euenturum sit, præsertim si longius sit nauigandum? Quid dicet uir prudens, qui hæc uideat? Te interrogo Alberte. ALB. Perdet (inquiet) iste omnia: uæh sibi uæh, nauigantibus non euadent. MAR. Quid Principem uidens insipientem, cui summa sit licentia quicquid uelit agendi, cuius libidini pateant omnia, iste idem uir prudens quid dicet? quorsum opinionem suam diriget? Nonne asseuerabit, quod iste & se, & suos, & reliqua corrumpet omnia regendi inscitia? ALB. Clamet ita necesse est consequentia rerum adductus. MAR. Audi quæso reliqua. Habebit Princeps iste ob diuitiarum & opum copiam circum se multos: hoc enim fit. Quid igitur isti tam multi num aduersus unum Principem consistere audebunt? & eius incusare dementiam? quod malè et turpiter administret imperium, uel num potius eius incendent dementiam? conclamantes ipsum rectè omnia gerere, non tanquam ab hominibus prognatum, sed de cœlo lapsum, & ad hominum salutem diuinitus missum? ALB. Si id quod quotidiani ferunt mores inspicimus, collaudabunt, & miris efferent laudibus Principem, quamuis fœdissimè se habeat. MAR. Possem multis exẽplis ostendere neminem audere diuersa à Reges sentire in consiliis capiẽdis etiam quum de perspicua ipsius Regis utilitate appareat. Vno utar, quod de Perseo Macedonum Rege traditum est. Is quum bello Romano plurimis iam detrimentis acceptis in extremum penẽdiscrimen adductus esset, Gallorum ad se aduocauit decem millia equitum, totidem peditum, hominum fortissimorum, stipendia facere consuetorum, qui tum fortè per Illyricum effusi erant, pactusque est in singulos pedites quinos aureos, in equites denos, mille in eorum Duces, & iam Galli aliquot dierum uiam progressi eò peruenerant, ubi pecuniam numerari oportebat, mercedemque pactam fla-

gitabant. Tum Perseus consilium aduocat, rem proponit: sed quum primus allatis certis causis ostendisset Gallorum auxilia sibi dimitti placere, contradixit eorum qui aderant nemo (ut auctor est Liuius) Nemo in tanto discrimine ausus est stultum Regis consilium improbare: quum tamen omnes idem sentirent meliorem esse regni custodiam, quàm pecuniæ, quæ utique non seruaretur. Nam si Gallis non distribueretur, ea Romanos uictores sequeretur. Verum quum perspicerent omnes Regis auaritiam, qui tantæ multitudinis mercedem metueret potius, quàm hostes Romanos, silentium tenuerunt: nec uoluit quisquam obstrepere palàm Regis dementiæ, occultè tamen mordebatur, tanquam id ageret, ut bene diues cum omni Regia gaza in triumpho portaretur. Vides iam Regi Alberte parum esse auxilii in consultoribus, nisi se prius ad bonos componat mores, doctrinaque omni diuina & humana imbuatur. Vbi enim in malis moribus cupiditatem alicubi ostenderit, eodem cuncti sequentur: non enim prius Regis, sed suum considerant discrimen, si contradixerint. Sed num potes dicere mihi Alberte, quid nunc mihi uenerit in mentem. ALB. Possum ubi dixeris. MAR. Sic cogito. Erit fortasse in magna turba hominum aulæ inseruientium, & Principi adulantium unus aliquis uir fortis, seuerus, & sapiens, qui miseratus animo Principis imbecillitatem, conetur illum ad sanitatem mentis reuocare, horteturque ut disciplinis omnibus suque rectis artibus se ipsum instituat, quo par tanto sit muneri, sicut olim Dionysium Dio, propinquum propinquus. Quid futurum putas? ALB. Scio, quod nihil proficiet, sicut nec in Dionysio Dio quicquam profecit. MAR. Honorabunt forsitan hunc uirum cæteri talia suadentem, culpamque omnem transferent in Principem, qui honestis monitis non moueatur. ALB. Honorabunt? imò auersabuntur eum plures: magna pars illudet, & hominem nihil sapere arbitrabitur. MAR. Quid dicent? nam afferant aliquid necesse est. An non illud in promptu, nihil opus esse tot literis, sed posse Principem hac communi prudentiæ luce utentem tectissimè habenas imperii moderari. ALB. Hæc omnino istorum est oratio. MAR. Quin addis insulsam hanc esse & absurdam orationem. ALB. Non addo, quoniam id iam perspicuum est, & ex superioribus sermonibus patet. MAR. Vis ne de hoc etiam aliquid rursus dicamus? ne frustra hic redierit sermo. ALB. Aueo audire, nam eandem rem uariis tractare argumentis oratorium est maximè. MAR. Nolunt isti (ut uides) Principem altius euehi: nec sublime aliquid speculari, existimantes nihil illorum cognitionem facere ad Principatum, sed recordare quæso illius similitudinis, quam ante proposui, de rudi & imperito nauis gubernatore: nam si huius inscitiam perspiciens aliquis hortetur, ut antequam clauo manus iniiciat, curet aliquam nauticatum rerum scientiam percipere, siderum motus, terrarum tractus, uentorum uim, aduersarum signa tempestatum tenere. Remiges autem & nautæ homini adulantes contendant superuacuam esse hanc discendi curam posse, illum humanæ prudentiæ uiribus absque alio usu & scientia nauem medios inter fluctus rectam præstare, & ad destinati litoris oras prouehere: Nonne isti tunc stolida sapere & dicere

uidebuntur?

uidebuntur? Neminem mihi dabis tam emotæ mentis, qui illa audiens non statim exclamet. O attoniti. Ita ne uero talia proferre & suadere audetis? Non absurdiora minus isti loquuntur ad Principes, quos nihil intelligentes, nimis etiam intelligere arbitrantur. Auersantur isti Principem esse atque adeo haberi Philosophum. Quid diuinarum (inquiunt) & cæterarum rerum cognitione, quas Philosophia affert, cum principatu? quibus & ego dico. Quid syderibus cum mari? uel quid etiam cum terra? nam non minus agricolæ, quàm nautæ seruanda sunt sidera, quod qui ignorat, admoneri potest carminibus illis summi Poetæ, dum de agricolis uerba faciens, inquit.

Præterea tam sunt Arcturi sidera nobis,
Hædorumque dies seruandi, & lucidus anguis.
Quam quibus in patria uentosa per æquora uectis
Pontus, & ostriferi fauces tentantur Abidi.

Credo equidem, quod si rudis homo uideat nautam uel agricolam suspicientem in cœlum, oculosque sub astra tenentem (ut cecinit idem Poeta de Palinuro) dum illorum ortum occasumque speculatur, rideat quantum possit, & insanum uocet utrunque, quod quum uni res sit cum mari, alteri cum terra, cœlum supinus spectet, tanquam illic nauigandum sit potius uel serendum. Sed huius ineptum risum contemnant illi, & hominem breuissimo frangent sermone. Dicent enim. Latet te ô homo quisquis es coniunctio rerum distantibus in locis positarum, hanc discere cura, & ubi didiceris, te tui ipsius, & intempestiui huius risus pudebit. Hæc illi. Eadem istorum ratio, qui si uiderint Principem inquirentem aliquid de Dei potẽtia, sapientia, caritate, de animorum, Dæmonum, elementorum statu, deque aliis mutabilibus, quæ immutabilis ille condidit, qualis nuper Picus Mirandulanus fuit, superuacuæ rei operam impendere existimant, & uix mentis credunt compotem, quoniam hæc uana & inutilia in alto defixa & tam longè posita suspiciunt, & scrutantur, idque arbitrantur ad Principem non pertinere, sicut nec rudis ille uir existimat sidera gubernatori nauis esse inspectanda, sed facilius quis medios inter fluctus nauem sine siderum inspectione, quàm sine multa diuinarum humanarumque rerum cognitione principatum poterit gubernare. Ingredior adhuc magis introrsus, & scire ab istis percupiam, utrum artem regendi populos facilem putent, an difficilem, si facilem, undè tot in ciuitatibus inuidiæ, stupra, furta, rapinæ, cædes, uulnera? Cur Princeps non prohibet? cur uel horum plurima eius iussu fiunt? Si difficilem, cur retrahunt Principes à disciplinis, per quas facultas melius aliquid gerendi paratur? Magna & multa sunt munia Principis, inter quæ haud scio an illud præcipuum, ne ciues diuitiis luxurient, aut paupertate onerentur, propterea quòd nimiæ diuitiæ reddũt superbos, feroces, arrogantes, uiolentos, cupidos dominandi, uoluptatibus etiam & luxui indulgentes. Hæc efficiunt diuitiæ, quid paupertas? horum contraria, nam uiles facit, timidos, abiectos, Assentatores, seruiles, fures quoque & raptores. Demum pecuniæ gratia, quiduis facere & pati paratos. His uitiis occurrere oportet Principem, quod assequetur, si ciues mediocres

diocres erunt moribus, quod erunt si fuerint facultatibus. Quæro de te nunc Alberte, num quenquam Principum uides hæc curare? ALB. Quid uideam, quod nusquam est? & quomodo curabunt illi, quod ne per somnium quidem uenit in mentem optare? MAR. Inscitia igitur prætermittunt, quod eos oportebat: nam id nescire haud magnum est. Magnum autem id uidere, maius conari, ut efficiatur, maximum re ipsa efficere. Quis nunc præterea Principum eò incumbit, ut populi, quos sub se habet, sint manu strenui, ob assiduam armorum tractationem & bellicarum rerum meditationem, iidemque quieti atque pacati sint ob religionis studium? quæ sanè societas fortitudinis cum modestia, ut præclarissima est, ita & difficillima: difficillimum enim factu est, ut æqualitatis iura seruare uelit, & legitima disceptatione uinci se patiatur, qui magnitudine animi excellit, quod effici tamen in populis etiam potest, si quis regere sciat. Græci gymnasticæ musicam admiscebant, ut unius disciplinæ ferociam alterius dulcedine delinirent, atque ita animos iuuenum ad temperatum statum deducerent, inter mollitiem feritatemque medios. Mihi satius uidetur asperitatem morum, quàm armorum assidua tractatio ingenerare potest, religionis cura compescere, & ueluti mansuefacere, quod Numa Pompilius secundus Romæ Rex præstitit: qui quum populum Romanum ferocientem nimis atque intumescentem frequentibus bellis, quæ sub Romulo faustè gesserat, suscepisset, sacrificiis cultuque Deorum immortalium inducto mitigauit, & ad mediocrem habitum conuertit.

Nanque aliquis modò trux uisa iam uertitur ara,
Vinaque dat tepidis salsaque farra focis,

Vt Pelignus cecinit Poeta. Nunc nulla opus est musica aut religione, ut per eas populi mansuescant, quid ita? quia quidam Principes populos imbelles esse cupiunt, quibus etiam arma detrahunt. Alii nullam impendunt operam, ut bellicosi reddantur. Itaque ubi bellum impendet, necesseque est patriam & imperii fines armis tutari, externo utuntur milite, egentes undique homines & facinorosos mercede cogunt, qui non tanquam ad bellum cum hostibus gerendum fuerint uocati, sed ad diripiendas sociorum atque amicorum fortunas, ita omnia uastant, trahunt, lacerant, corrumpunt. An non ita hodie Alberte fit? ALB. Fit sanè. Copias licet nunc cernere in bellis non militares, sed prædatorias. Quamobrem definiuit nescio quis bellum ut diceret, nihil aliud esse bellum, quàm uim, quæ infertur coactis hominibus ad rapiendum latrocinandumque paratis, uel breuius, bellum esse congregationem prauorum hominum rapientium undique & prædantium. MAR. Non insulsa profectò definitio, & uidetur ille quisquis fuit, ad definitiones fuisse ingeniosus. Licet omnino de hodiernis conqueri bellis, in quibus omnia militantibus conceduntur. Vetus illa & antiqua militia nocens hostibus, innocens amicis recessit. Sed de his nunc non agitur, redeamus ad priora. ALB. Equidem censeo, si quidem adhuc restat, quod dicatur.

MARCI.

MARCI ANTONII NATTAE ASTENSIS,

DE PRINCIPVM DOCTRINA LIBER QVINTVS.

MARCVS.

OMNES artes Alberte principatui subiiciuntur, non modo hæ honoratissimæ quales sunt, militaris, iudiciaria, rhetorica, sed etiam quælibet leuiores, & quæ inferioris sunt ordinis, ueluti agricultura, architectonica, & cerdonica, sutoria, & reliqua: nam ad Principem spectat statuere, quas artes in ciuitate, & quales esse deceat, & quid quenque addiscere, & quousque oporteat. Non igitur fieri potest, quin principatus ars sit maxima, si quidem eius est de reliquis artibus decernere ad communem utilitatem tanquam earum omnium sit præses. Nulla hodie horum meditatio penes Principes nostros: est tamen aliorum quorundam, de quibus piget dicere. ALB. Imò dicendum est tibi. Video enim de uitiis Principum te uelle aliqua proferre. MAR. Vellem, sed tamen (ut dixi) tædet: non enim iucunda est de talibus Oratio. Veruntamen si dicendum est de Principum uitiis, nolo intelligi illa de omnibus dici Principibus, sed de his tantum, qui illis obnoxii sunt criminibus, quos ego plures esse sentio. Videmus nanque in Principum aulis præfecturas prouinciarum, Senatoriam dignitatem, procurationes, magistratus, omnia esse uenalia. Scelus quodlibet pecunia redimi: in cubiculis luxum, in iudiciis aurum dominari, controuersias priuatorum tardissimè terminari (si tamen terminantur) & magnis iacturis litigatorum, adeo ut expediat sæpius litem deseruisse, quam illo modo uicisse, bella insuper (quod sine lacrymis dici uix potest) non necessaria & perniciosa suscipi cupiditate dominandi, qua de re populi collatione æris affliguntur, urbes diripiuntur, agri uastantur, homines in seruitutem abducuntur, neque liberantur, nisi idoneum erogauerint argentum. Hæc & his peiora fiunt, quæ ubi contingunt, necesse est inscitia regentium contingere: sicuti quum domus malè gubernatur, quilibet id sentiens inertem patremfamilias ea in domo babitare existimaret. BAP. His, quæ à te hactenus dicta sunt Marce uehementer assentior, atque ita iudico & statuo Principem multarum rerum peritum & scientem esse oportere ob magnitudinem eorum, quæ tractanda principatui & gubernanda committuntur. Capit autem quandoque admiratio eorum, qui contrariam induerunt sententiam. Videas peritiam deligi undique & laudari: imperitiam culpari. Nemo est, qui si militandum sit, non sequi malit armis captis peritum belli ducem, quàm imperitum: hoc enim tutius & securius existimatur. Si fabricandum est aliquid è ligno, uel ex ære, uel è marmore, quæritur peritus faber, imperitus dimittitur. Similiter si aliquid operis in agro faciendum est,

est, ille multo rerum rusticarum usu callidus agricola adhibetur, huic rectè committi putatur. Denique medicum, rhetorem, pictorem, statuarium, tonsorem, sutorem, cerdonem, adhibent sibi & suis homines eum quem peritum existimant: nullum horum probant, nisi in artificio suo probum. Vnum Principem isti negligunt esse artificem in suo munere, quem ne medicorum quidem artificem, sed summum esse oportebat: nam lapsus priuatis in rebus ad paucos pertinet, læduntur ii duntaxat, quorum est negocium, & secunda ciuitatis fortuna priuatorum sæpius subleuat incommoda: res uero publica ubi malè geritur & administratur, priuatorum etiam beatitudines in perniciem secum simul trahit. Ergo Princeps undecunque scientiam rectè administrandi remp. colligere debet, siue legendo, siue audiendo, siue alio quocunque modo pariatur, quandoquidem ab eo uno non uniuersorum modo, sed singulorum quoque status pendet: rectè an secus se habeat. Stultitiam autem eorum, qui contraria sentiunt, satis mirari non possum. M A R. Stultitia omnino illa est opinatio, ut dicis Baptista: cuius causa si quæratur, illa est, quod penes eos principatus non est cuiusdam artificii nomen, sed honoris & dignitatis, quod ex eo forsitan sibi suadent, quod principatum uident ueluti hæreditarium quiddam successione & necessitudine deferri, & nasci Principes non fieri. B A P. Ego uero non mediocrè sed maximum esse omnium artificum arbitror rectè imperio uti, testem habens idoneum Octauianum Cæsarem, qui mirari se dicebat, quod Alexander Magnus parto in multas nationes imperio adhuc alias quæreret, quas debellaret, nam si magnitudo rei & difficultas illum excitaret, maius fuisse opus disponere rectè, quod habebat, quàm acquirere, quod non habebat. M A R. O præclaram uocem summo illo Imperatore dignam, quæ ostendit non tam spectandum, quàm latè, sed quàm iustè Princeps imperet. Hoc enim iudicio contingit: in altero casus dominatur. Veteres certè Romani de bellorum principio magis, quod iustè suscepta essent, quàm de exitu, quod fœliciter euenissent, gloriabantur. Sunt nonnulli alii, qui hoc uel solùm uel præcipuum putant esse Principis munus, posse exercitum ducere, et collatis signis copias hostium profligate: id si habeat, quouis imperio dignum arbitrantur, cum tamen in Principe nihil splendidius fulgeat quàm iustitia, cui (ut ait Aristoteles) stellarum splendor, nec matutinus, nec uespertinus possit comparari. hoc sanè indicant Virgiliani illi uersus, nam nondum comparente Aenea in naufragio, Troianis de eius morte dubitantibus dictum est ad Didonem à maximo Ilioneo oratore Troianorum.

Rex erat Aeneas nobis, quo iustior alter,
Nec pietate fuit, nec bello maior & armis.

Videtis, ut in Regis laudibus prius iustitiam collocet & pietatem, antequam ullum inferat sermonem belli & armorum. Ipse Aeneas commendat se ipsum à pietate.

Sum pius Aeneas.

Et reliqua, ominens quantum in bello possit, poterat autem (ut nostis). Religitur militaris scientia, & si deceat Principem, nam per hanc sæpè seruatur imperium, & usus eius latè patet, tamen obscuratur splendore iusti-

tiæ, quæ ut uirtutum omnium est Princeps, ita & Princeps esse debet in Principe. Si tamen militia in honore collocanda est summo, ita, ut nulli artium sui dignitate & utilitate concedere debeat, quotusquisque rei militari studet? de Principibus loquor. Vendicant se Principes penes populos non tam animi uirtutibus, quàm aliis quibusdam externis, sed forsitan sermoni huic nostro finis imponendus, nam de Principum doctrina, de qua proposita est quæstio, multa hactenus dicta sunt, & alia quædam prioribus adiicere, uereor ne sit tædiosum. Itaque statuo cessandum. A L B. Minimè cessandum: nam adhuc altus est dies, Solem uides: nondum ad occasum præcipitat. M A R. Quid si alia in proposita quæstione non occurrunt? A L B. Scio quod occurrent, uel si nihil aliud occurret, potes saltem de his externis dicere, quibus ais Principes se populis uenditare, ut etiam uarietatem quandam non ingratam sermo hic noster assequatur. M A R. At quæcunque de his externis dici possunt, notissima sunt & uobis & omnibus. A L B. Nihilominus dicendum est tibi: nam dulce est colloquium inter amicos, etiam qum ea memorantur, quæ ipsi tenent. M A R. Externa hæc, quæ me nominatim appellare iubes, nemo non nouit: sunt enim ludi, spectacula, certamina naualia & terrestria, congiaria, munera, saltationes, fabulæ, histriones, & his similia. Reuolue animo historias Alberte, quas lectitasti. Reperies his & talibus Principes deliniuisse animos popularium, & eorum sibi gratiam conciliare conatos. A L B. Leuia hæc sunt quidem. M A R. At leuibus istis ducitur multitudo, demulcent hæc sensus, & momentanea hæc uoluptas penes imperitam plebeculam magni est momenti. Sunt etiam externa illa, quæ uulgus miratur, & terretur, sceptrum, purpura, diadema, magnificentia ædium regiarum, satellicium, equitatus, aurum, argentum, gemmæ, lauta & copiosa supellex, multus magnusque amicorum comitatus, præcedentium, subsequentium, lateraque tegentium, & plura alia, quibus illi uulgo beati existimantur. A L B. Quid tu hæc Marce uituperas? quibus populi sponte munierunt principatum. Nam florente etiam Romana rep. & adhuc uigente libertate nosti Consules & prætores prætextam sumpsisse togam, & sella curuli uectos, præmissis lictoribus cum fascibus & securibus, quæ sanè insignia magistratuum ab Etruscis prius usurpata, Romam deinceps translata fuere. Athenis etiam, quæ una omnium ciuitas maximè fuit libera, eos qui cœperant magistratum, coronas gestare solitos accepimus, & sanè conuenit eos, quibus maximæ potestates creditæ sunt, primatumque rerum tradita administratio, habere circum se aliquid, quod reuerentiam illis in uulgus præbeat & auctoritatem. M A R. Non ego Alberte. his imperii insignibus Principes denudo, aut his ornari molestè fero, sed illud coarguo, quod putant nonnulli in istis externis principatum consistere, satis eos esse & uideri Principes existimant, qui quamplurimis fortunæ bonis abundent: non intelligentes eos uerè esse Principes, qui rectè funguntur principatus munere, quod sanè munus non progenitorum, non fortunæ beneficio defertur, sed studio, cura, industria, diligentia comparatur. Volo ego Principem illis imperii insignibus munitum & ornatum uidere, modo illa potiora ducat, iustitiam, fidem, pietatem,

religionem, continentiam & temperantiam, & mentis fortitudinem, hisque habendis & tuendis inuigilet, paternamque de omnibus potestati suæ creditis concipiat curam. ALB. Amplectens igitur insignia illa imperii in Principe. MAR. Sicut augusti, sed uidendum est quoque, ut in his adsit modus, ut omnis arrogantiæ uitetur suspicio. Illa enim insignia, quæ memoratus, fuisse in consulibus prætoribusque Romanis, satis moderata esse duco. Nemo enim plus duodecim lictoribus est usus, togaque illa prætexta, & sella curulis pro amplitudine magistratus satis illos honestabat. Maxima autem insolentia Cai Caligulæ uideri potest, qui sæpius processit in publicum cum aurea barba, fulmen tenens, aut fuscinam, aut caduceum. Deorum insignia. Idem templum nomini suo instituerat, in quo pet primores urbis aureo eius simulacro delectissimis hostiis sacra fiebant. Huic uita & moribus haud dissimilis Commodus, qui Herculis prædicans se filium, leonis pelle tectus & clauam gestans incendebat. ALB. Ridicula hæc credo populo Romano uisa fuisse. MAR. Ridicula omnino, nisi quòd hæc ridicularia cædes, tapinæ, infinitæ in Deos hominesque iniuriæ sequebantur. Illud enim Poeticum ante oculos est habendum, hæ nugæ seria ducent. Multum Romanæ uisus est detraxisse libertatibus Diocletianus, quum ab adeũ tibus adorari se iussisset, nam superiores Imperatores tantum salutabantur. Multa etiam faciunt Principes ostentandæ potentiæ suæ causa. Veluti Crœsus Lydorum Rex, qui Soloni Atheniensi Regios aperuit thesauros, & quæsiuit ec quis mortalium ipso esset beatior? nec tamen responsum, quale optabat recepit. Cæsar dictator Romanorum iam rerum potitus, ut Seneca in secundo de beneficio scriptum reliquit, quum Pompeio Peno, qui bellis ciuilibus contraria arma induerat, ignouisset, agenti gratias porrexit ad osculandum sinistrum pedem, & sunt, qui dicant excusantes (ut idem Seneca refert) non insolentiæ causa id factum, sed socculum auratum, imò aureum margaritis distinctum ostendere noluisse. Et ne de socculis aureis mirùm uideatur, iam antea Demetrius Macedonum Rex hoc more erat usus. Nam is (quemadmodum apud Plutarchum relatum est) non solum diadema gestare, uestibus auro purpuraque contextis uti, sed auratis quoque calceis pedes ornare solebat, Diocletianus quoque, de cuius superbia paulo ante diximus, uestibus & calciamentis gemmas addidisse fertur nouo more: nam insigne imperii non aliud erat, quàm purpureum indumentum. Imponunt sibi etiam gloriosa nomina. Demetrius Antigoni Macedonum Regis filius, & patris in regno successor Poliorcetes idest urbium expugnator nuncupari uoluit. Ptolomæus unus ex Aegyptiis Regibus Euergetes idest beneficus. Et si Plutarcho credimus, nonnulli reges fulmineos se inscribebant, quasi ui sua perfringere omnia possent. Alii accipitres se uocitabant, quasi ipsorum tapinæ cuncta paterent. ALB. Quid ergo? tu in Principibus & summatibus uiris improbas hæc gloriosa nomina? MAR. Improbo equidem si iactantiæ causa ea sibi sumpserunt, non si a populo imponuntur: tunc enim sustinent iudicium populi, non ipsi illud accersunt. Aristides penes Græcos iustus & dictus & habitus est, populi scilicet nuncupatione non sua. Putas ne Aristidem in concionibus ad populum, aut in epistolis, aut

in

in ſermone familiari dixiſſe, Ariſtides iuſtus ita cenſeo, ita mando, ita ſcri-
bo, non opinor. Similitet apud Romanos L. Acilius. M. Cato; C. Lelius
ſapientes uulgo cognominati, nam ipſi nunquam ſe ipſos ſapientes uoca-
bant, quod ſi feciſſent, repugnaſſent ſuo cognomento, & inſipientes uiſi
omnibus fuiſſent. Erat hoc in more populi Romani cognominare Princi-
pes ciuitatis à gentium deuictatum nominibus, cum maioris notitiæ, tum
uirtutis acuendæ gratia. Hinc Africani, Aſiatici, Numidici, Cretici, Iſau
rici demanarunt, & ſi qua alia ſunt huiuſmodi, nam Pompeio additum Ma
gni cognomentum putatur familiarium aſſentatione. Maius adepti ſunt co
gnomen Fabii uel maximum potius. Omnes enim Fabiorum familia Maxi
mi cognominabantur, ut illud indicat Ouidianum.

Nec domus eſt Fabios ſupra cognominis ulla.
Illa domus meritis maxima dicta ſuis.

L. Sylla fœlix uocitatus, nam ita ſe dici uoluit, qui ſanè titulus minimè ar
rogans Plutarcho uiſus, propterea quòd uideatur, res, quas proſperè geſſiſ
ſet, Deorum immortalium beneuolentiæ erga ſe aſcribere. C. Cæſari Octa
uiano ob magna eius in remp. merita datum à Senatu, ut Auguſtus nuncu
paretur, quod perinde eſt ac ſi dicatur, ſacer aut uenerabilis. Sed quis eſt
ille è Cæſaribus, qui uocatus eſt optimus? Traianus (ut opinor) eodem Se
natu auctore, ut hoc cognomen haberet commune cum Ioue: nam Iupiter
optimus maximus dicebatur, & prius quidem optimus, quàm maximus
(ut Cicero inquit), quoniam præſtantius eſt beneficentia & liberalitate &
iuſtitia excellere, quàm infinitas opes poſſidere. Antoninus deinceps, qui
egregè imperauit, Pii nomen aſſecutus eſt. BAP. Iam diu te Marce obſer-
uo, ut uideam ſi memoria polles. MAR. Quid ita Baptiſta? BAP. Quo
niam ſi memoria polleres, non omitteres Iuſtinianum noſtrum, cui omnia
Iuriſcon. debemus. Is initio Inſtitutionum, Digeſtorum, Codicis, quibus
libris omne Romanum ius incluſit, cum longa titulorum pompa nobis fit
obuiam, Alamanicus, Gotthicus, Francus, Germanicus, Atticus, Alani
cus, Vandalicus, Africus (hæc à deuictis gentibus cognomina) quid dein-
de? pius, fœlix, inclytus, uictor ac triumphator. ALB. Satis hic bene ti
tulatus proceſſit. MAR. Nunquam equidem Baptiſta hoc mihi ſumpſi, ut
proferrem quæcunque cognomina, quæ Romani Imperatores uel à ſe ipſis
ſumpta uel ab aliis tributa anteferebant, ſed ſatis huic ſermoni fore puta-
bam, ſi quædam exempli tantummodo cauſa proferrem, quod ſi id mihi
fuiſſet animi, nunquam hunc omiſiſſem, qui tot ambulat ſuffarcinatus co-
gnominationibus, ut eas parua tabella capere non poſſit, neque tamen hũc
contempſerim Imperatorẽ, qui & bella multa proſperè geſſit, & omne ius ue
tus (ut ipſe gloriatur) enucleauit. Breuiſſimus ille titulus quidem, ſed tamen
eminentiſſimus, quo Perſarum reges & in Epiſtolis & edictis olim uteban-
tur. ALB. Qui titulus iſte Marce? Num ille? Rex Regum. MAR. Iſte ip
ſe Alberte. Maxima quodam tempore in illis Regibus fuit potentia. Roma
næ tamen neutiquam par, cui totus ferè orbis ſuccubuit. Negabant Perſa-
rum Reges quenquam in imperio ſuo eſſe liberum, ſed omnes Regios eſſe
ſeruos, præter ſe ipſos & uxorem. Itaque quicunque Perſarum ſuberant im

perio, Regem ut herum habebant, & heri nomine nuncupabant, & prædi cario Regis de illis, ut de seruis erat. At Romani neminem Dominum uocabant, nec Imperatorum quisquam Romanorum id sibi nomen assumpsit ante Domitianum. Ille primus id nomen appetiuit, & usurpauit: nam quũ quæstoribus suis dictaret epistolam, quam emitti ab illis uellet, sic exorsus est, Domitianus Dominus, Deusque noster. Hac eius cupiditate perspecta, sequuti sunt postmodum cæteri, & de eo homines, ut de domino Deoque nostro loquebantur. A L B. Inuiti scilicet. M A R. Credo, præter paucos, qui lucri sui causa eius potentiæ adulabantur. A L B. O Insignem im pudentiam. Non solum Dominum, sed etiam Deum se dici uoluit. MAR. Existimabat se dijs parem potestate, quia magnum equitatum, magnum legionum numerum alere poterat. Hæc tamen nomina arrogantiæ plena Nerua successor imperii renuit. Hinc ille inquit in Epigrammate.

Non est hic Dominus, sed Imperator.

Sed iustissimus omnium Senator.

Melior hæc laus in iusti nomine, quàm in Domini, nam iustitiam exercere recta tantum possunt ingenia, dominari etiam improbi possunt. Hic mitissimus omnium Imperatorum fuit, nec nostræ religionis hominibus iniquus, qui superiorum Principum uitio extremis exemplis necabantur. Ipse quen quam Iudaicæ superstitionis accusari uetuit, ut est apud Dionem, quod de Christianis est intelligendum, qui uidebantur originem religionis suæ à Iu dæis duxisse. Veros autem Iudæos nunquam prohibuerunt Romani, quin proprijs ritibus uterentur. Et Nerua quidem talis fuit, ut non se Dominum, sed patrem omnium dici & haberi uellet. Impudentia superauit omnes (ut mihi uidetur) tali in re Arcadius, qui in edicto æternitatem maiesta tis suæ proposuit. A L B. Ita ne uero ausus est ille scribere? M A R. Cur non scriberet? Nam (ut est penes Satyricum)

Nihil est, quod credere de se

Non possit, quum laudatur Diis æqua potestas.

Audiuit Arcadius fortè quendam ex adulatoribus dicentem, quòd æternus esset, credidit: hinc illa æternitatis uox nata est.

Roma patrem patriæ Ciceronem libera dixit.

Ita enim Satyricus, notans sua & superiora tempora, quibus Imperatores de rep. deque imperio pessimè meriti, patres patriæ nominabantur, quasi hæc uox à seruientibus ciuibus extorqueretur, coactè, ingratis, & præter uoluntatem: uocari te oportet (si ita conuenit) patrem patriæ, quum talis inuentus fueris multis beneficiis erga patriam impensis, non te hunc titulũ præripere & ita uocari, antequam sis uel constet futurum. A L B. Vetera conquiris Marce, nihil de his dicens titulis, quibus Reges hodie nostri utũ tur. Vides Regem Gallorum, Christianissimum, Regem Hispaniarum, Catholicum, passim nuncupari. Pontificem uero Maximum omnes sanctissimi uocant nomine. Te ego uagantem Marce inter ueterum Regum cognomina reuoco ad hæc tempora, ut dicas, quid de istis sentias. M A R. At qui non erat difficile Alberte meam ex superioribus cognoscere sententiam. Si tamen de hoc aliquid dicendum est apertius, approbo hos titulos

ab aliis delatos nostris Regibus: Nihil enim habet tumoris ostendere se sub Christianissimi & Catholici uocabulo pro Christi ecclesia aduersus hæreticos & infideles pugnare paratos. Pontifex uero Romanus, etsi ab aliis audiat se sanctissimum uocari propter officium, quod sanctitatem summam desiderat, ipse tamen in rescriptis uocat se seruum seruorum Dei, quia in Episcopo nihil potest uera humilitate esse sublimius. Et de titulis quidē principalibus satis, nisi forsitan audire uis de Antonino Bassiano, qui & si Getas uicerit, Geticum se uocari ægerrimè tulit. ALB. Quid nam hoc? Aueo nanque audire. MAR. Is Antoninus Getam fratrem imperii consortem suaptè manu occiderat, ut solus imperaret. Culpam autem omnem transferebat in fratrem, quod ab eo se prius impetitum diceret. Veruntamen, quum Sarmatici, Parthici, Arabici nomen sibi ascriberet Helius Pertinax Imperatoris Pertinacis filius, qui tunc aderat. Adde (inquit scribæ) si placet Geticus, quod Getas quoque ad orientem transiens tumultuariis prælus fuderat. Ille tamen Getæ fratris necem exprobrari sibi illo dicto ratus, hominem tollendum interficiendumque curauit. ALB. Salsè quidem & acutè, tametsi et, qui illud protulit, malè ceciderit. Veruntamen ita res habet. Vix potest uir sapiens, ubi quid incidit, quod belle dici in alterum possit, se continere. MAR. Sunt etiam alia quædam præter titulos, quæ affectant Principes, ut ueneratio eorum fit grandior, nam accedentes uel genua amplecti, aut etiam ad pedes iacere nolunt, humaniores habentur, qui admittunt ad manus osculum. Sunt etiam nonnulli, qui ubi sunt ipsi, aperto quoscunque capite astare iubent. Est honos quidem & potestas regia supra homines, ea tamen est hominis: quamobrem laudatur nobilissimi Oratoris uoce Traianus Imperator, quod æquali penè iure cum ciuibus ageret: & quod ei subiecti essent homines non alia ratione, quàm qua subiiciuntur legibus: nam eis seruiunt omnes, & reuerentia nihilominus quædam ab omni terrore & fastidio libera adhibetur, summis etiam attolitur laudibus idem Traianus, quod quum adesset ad exercitum, & absens Imperator electus rediret, ingressus fuerit urbem pedibus non satellitum circunfusus manu, sed nunc Senatus, nunc equestris ordinis flore, prout alterutrum frequentiæ genus ualuisset, & quod dum sensim placidèque graderetur, plures salutabat nominatim, & quasdam etiam familiaritatis notas addebar, quum priores Principes quadriiugo curru & albentibus equis inuehi, uel seruorum ceruicibus gestari solent. ALB. Verè Traianus dignissimus fuit imperio. Is enim est, quem aiunt diui Gregorii precibus ab inferis reuocatum, & ad cœlestia gaudia receptum. MAR. Dicitur id quidem, sed nulla huius rei certitudo, quoniam sine uera religione non est aditus ad illa gaudia. Fateor tamen Traianum fuisse in imperio talem, qualem uix quisquam alius ueræ laudis cupidus se futurum posset polliceri. Sed ut iam ueluti à longa digressione domum redeamus Alberte, prioribusque immoremur. Plurima moliuntur Principes ostendandæ potentiæ causa, non animaduertentes, quod licet magnum sit posse, ma-

ius

ius tamen est sapere: nam non solùm animata multa, uerum etiam in anima quædam non parua prædita sunt potestate, ueluti fulmina, uentorum flatus, aquarum eluuiones, herbarum radicumque uaria genera, & alia multa in syluis agrisque crescentia, quorum uim ac potentiam & literæ doctissimorum hominum produnt, & quotidianus edocet usus. Illata (ut id repetam sæpius) Alberte summa gentibus pernicies: quum potentia à sapiétia disiuncta est, & alii potentes, alii sapientes apparuerunt. Effectum est hac ratione, ut potentia perniciosa esset rebus publicis, sapientia inutilis, quæ si coniuncta manerent, existeret singulare quiddam atque præclarum, quum potentiæ sapientia ordinem & modum adhiberet, ne ueluti immensum flumen extra ripas damnosè difflueret, & sapientiæ potentia, uim, robur, neruos, auctoritatem arrogaret. Forsitan quæratur, quid ego sapientiam uocem. Dixi antea & iuuat repetere. Nihil aliud ego uoco sapientiam, quàm diuinarum humanarumque rerum cognitionem: ita enim ueteres eã definierunt. Mirùm autem si hæc alicui possit contingere, qui non multa uiderit, legerit, audierit, multa usu tractandoque cognouerit, multorum literas, sapientiam ingeniumque perspexerit. Neque tamen hoc ita ad unum reseco, ut putem Principi nihil nescire licere, sed tamen ut plurimarum rerum fontes & capita teneat, necesse est. In primis uero summæ illius & incommutabilis ueritatis præceptam & præcognitam naturam habere debet, quàm qui non nouerit, ueneratusque fuerit, falsas possidet uirtutes etiam in optimis moribus. Inuocet assiduè oportet illum, ut ei sit in ore, corde, & opere, regat in dubiis, instruat in perplexis, ducat et comitetur in omnibus, sine quo nihil ualidum, nihil rectum, nihil sanctum, nihil possibile, ipsi autem omnia possibilia. ALB. Nempè Deum dicis. MAR. Quem alium potius? neque enim alteri sermo iste aptari potest. Solus ipse est Omnipotens: solus dirigit: solus est portus salutis.

MARCI ANTONII

NATTAE ASTENSIS,

DE PRINCIPVM DOCTRINA

LIBER SEXTVS.

ALBERTVS.

SI ALIQVANDO tali ſapientia prædītum nobis conceſſerit Deus, potes ne mihi membratim Marce dicere, quæ & qualia ille molietur: nam ſi dixeris, aget ille omnia, quæ ſapientem agere decet Principem, nimis id informe eſſet & rudè, nec dignum pru detitia tua. Imperfectum præterea id fuerit reſponſum, ut potè, quod non finiat quæſtionem, & dimittat incertum interrogantem, nam nihilo magis nouerit, quod quærebat, & inſtabit rurſus quærens, quæ ſint ea, quæ ſapientem agere decet Principem. Hæc tibi ſigillatim exprimenda ſunt, ſi interrogationi meæ ſatisfactum eſſe cupis. MAR. Quin tu tibi reſpondes ponus? ALB. Ego in te hoc onus deriuare cupiebam, nam ſapientis explicare actiones ad ſapientem pertinet. Ego me nondum talem agnoui. MAR. Nec ego me talem. ALB. Quid igitur fiet? Num ſi aliquis ita utrunque noſtrum interroget quemadmodum ego te, quæ & quales erunt actiones ſapientis Principis, poſtulans eas ſibi enumerari, obtumeſcemus? nec habemus aliquid, qnod reſpondeamus? & illum diſcedere à nobis incertiorem, multo, quàm uenerat patiemur? quum uideat nos, qui tanropere ſapientem Principem extollimus, ſolumque imperio dignum ducimus, nihil habere certi, quod de eius actionibus dicamus. An non hæc turpitudo omnino uitanda nobis? Tu igitur buic moleſto quæſitori, ſi talis unquam aduenerit, pro utroque reſponde, & da operam, ut eius interrogationi (ut ſoles) ſatisfacias. MAR. Quid ſi hoc onus Baptiſtæ imponimus, qui iam diu racuit. Ego enim iam mulra eloquutus ſum, rogemuſque eum, ut nobis aliquid ſuauitatis ſuæ in dicendo impartiatur. ALB. Faciendum cenſeo. Itaque uides Baptiſta quid à te uterque noſtrum deſideret. Scire capiemus actiones ſapientis Principis, eas nobis, ut explices rogamus. BAP. A` me ne tandem id petitis? & facere me uultis, quod uterque ueſtrum implere detrectat? quaſi ſciam ipſe aliquid, quod uos ignoretis. Verunramen ne impoſitas mihi partes in hoc ſermone diffugiſſe uidear, neue illiberalis eſſe dicar, ſi particeps tam egregiè loquutionis in eam nihil contulero, accedam ad id, quod quæritur, paucis tamen uel ſummatim potius rem ipſam perſtringendo: quæruntur actiones ſapientis Principis in reip. ſcilicet adminiſtratione. Explicite narrare & minutatim, quid per ſingula quiſque acturus ſit, difficile eſt, diuerſa hominum ſtudia, diuerſæque uoluntates, diuerſus regionum captus, proſpiciendum eſt ubi & quibus imperes. Video nanque Licurgum in Lacedæmoniorum rep. diuerſa ſanxiſſe ab is, quæ Minos in Cretenſium ſanxit, diuer-

ſa

ſa etiam ab utroque inſtituiſſe Numam penes Romanos, quum tamen omnes eodem contenderent, ut reſp. rectè adminiſtraretur, & ciues ſui, quantum in ipſis eſſet, degerent beatè. Non eadem inſtituta fuerunt Carthaginenſium, Siciniorum, Locrenſium, Crotonenſium, ut ex multorum ſcriptis colligere licet. Vt ſingulorum uarii mores, ita & populorum ſunt. Athenienſes olim hilares, iracundi, uiolenti, placabiles erant, & ſupra uires audaces. Lacedæmonii contra graues, ſeueri, cunctatores, uix his, quibus inſiſtebant fidentes. Aſianorum tumida ingenia, mania, pauida, ad ſeruiendum parata. At Germanos uideas feroces, mortis contemptores, libertate gaudentes, Itali pari uirtutem magis cauti, & ratione pericula declinantes. Negocia item hominum, ut pleraque ſub eodem genere ſint, paribus tamen differunt, aliud alio plus uel minus, & diuerſum quid habet, ita ut omni ſimilitudine par dici non poſſit. Sigillatim igitur diſcutere, quid apud quoſque populos quaque de re quiſque acturus ſit in maxima locorum ingeniorum negociorum uarietate, infiniti eſſet operis, nec tutum dicere. Magna etiam uis eſt temporum, nam quod uno aliquando probatum fuit tempore ob certas cauſas, poſtea his conuerſis fuit improbatum. Summatim autem & generaliter res præſcribi poteſt. Quid igitur acturus ſit ſapiens in rep. Princeps ſi de me quæratur, ſic reſpondeam. Principio religionem ille ueram inducet & ruebitur ſuperſtitione fugata, dabitque operam, ut caritatem & prouidentiam Dei in omne humanum genus diffuſam omnes cognoſcant, & quæcunque fidei noſtræ myſteriis tradita ſunt, firmiter teneant, frequenti auditione diuini uerbi, precibus ad Deum humillimè fuſis, uiles efficiet diuitias præſcribendo ciuibus moderatum cultum & uictum, quem tranſgredi nulla ratione queant, definiẽdo etiam cenſum, ultra quem nemini poſſidere quicquam nec libeat, nec liceat. Enimuero duo quædam uigent modo in ciuitatibus, quæ frangunt animos hominum & corpora ſemperque fregerunt, deſidia uidelicet & luxus, hæc igitur duo ille pellet, & totidem contraria ſubſtituet, pro luxu frugalitatem, pro deſidia laborem. At controuerſias ciuium pro re natas, quàm inſtè extinguendas curabit? & quàm uelociter? tùm legibus ad definiendas lites ualidiſſimis, & æquiſſimè ſcriptis, tùm ſententiis Iudicum incorruptorum, non alio, quàm ad cauſarum merita ſpectantium: nam nunc plerique (bona uenia liceat dicere) ad perſonam ſæpius reſpiciunt, nec aduerſus argentum ſunt ſatis firmi, officinas inſtituet in urbibus armorum, eorundemque gymnaſia in eiſdem collocabit, efficietque, ut corpora exerceant ciues uenatu, curſu, luctatione, equitatione, armorum denique tractatione, idque potiſſimum ſtudebit, ut durent ſe laboribus, quo deinceps in prælio fortes ſint & feroces, nec hoſtem cominus extimeſcant. Nec tamen bellorum erit appetens, ſed fortitudine ſua exercituſque ſui terrori fuerit finitimus ne prouocent, & prouocatus non tam pertinax erit in gerendo bella, quàm facilis in ponendo. Quid de ingenuis aliis dicam diſciplinis? An non harum magiſtros ad ſe alliciet undique ingentibus propoſitis præmiis ad eruditionem iuuentutis, profectumque ingeniorum, & ad decus ornamentumque ciuitatum? Ne artes quidem negliget inferiores, quæ manu utuntur, quas neceſ-

ſitatis

ſitatis uel utilitatis cauſa humana uita adinuenit, nam has quoque iubebit adeſſe frequentes, reiectis tamen illis, quas ad effœminandos corumpendoſque animos pertinere uidebit. Sicut uero nemini nocere uolet ipſe iniuſtè, ita nec alterum patietur impune, nam diſſimulata ſcelera augent licentiam peccandi, ſed ut maleficia coercebit terrore pœnarum, ſic uirtutes pro uehet in maius honoribus, & aliorum dulcedine præmiorum. Vtetur autem grauioribus & dubiis in rebus non ſua tantum, ſed etiam amicorum prudentia, conquiſitis ſententiis, ut quid magnis expediat ex uarietate ſententiarum argumentorumque collatione facilius deprehendi cognoſcique poſſit. Manifeſtum autem, quod amicos moribus ſuis ſimiles deliget, idest bonos & prudentes, qui & honeſta ſuggerant conſilia, & ad recta cohortentur. Et quia diuerſa hominum ſunt ingenia: quædam quieta, placida, moderata, alia acria, uehementia, fortia, utriſque utetur pro conditione naturæ ſuæ, alteris in conſiliis capiendis, alteris in rebus gerendis: nam & conſulto opus eſt, & habere, qui conſulta, maturè exequantur. Valdè autem refert, quos lateri ſuo adiungat Princeps, boni ne ſint an mali, ut quã doque fuerit dictum melius eſſe ei reip. in qua malus eſſet Princeps, amici Principis boni, quàm ubi ex aduerſo Princeps bonus, amici mali. Vnus quippe à multis facile corrigitur, multi ab uno nulla ratione ſuperari queunt. Erit idem quantum ad mores pertinet domi foriſque egregius, pius, clemens, liberalis, magnanimus, erit etiam humanus, ſimplex, hilaris, ita ut nec hilaritas imminuat ſeueritatem, nec ſimplicitas grauitatem, nec humanitas maieſtatem: ſed in eo ſit omnium uirtutum concentus atque con cordia. Hæc & his ſimilia munia erunt ſapientis Principis, qui ſe populis non populos ſibi natos arbitretur. Dei inſipiente non neceſſe eſt protrahere ſermonem, ſed unico uerbo dici poteſt, nihil horum, uel pauca quædam acturum, & ſi Tyrannico more ſibi putauerit uiuendum, contraria omnia præſtaturum, trahet, rapiet, lacerabit, necabit, & eadem multis facere permittet, ad libidinem unius hominis gerentur omnia, non ſecus, ac ſi quod ille iuſſerit, id leges poſtularent, quid plura? peccabitur undique intra muros & extra. Aegreferendum eſt omnino talia fieri, ſed non admodum mirandum. Quid enim faciat, qui nullum cum ſapientia, doctrina, muſis habeat commercium? non enim intelligit, quid Principis dignitas uelit, quid maieſtas tanta requirat. Cur ſibi in populos tradita ſit gladii poteſtas, demum quod Principis munus ſit ignorat, nec quo conſilia actiones ue ſuas referre oporteat, tenet, Principem ſe uocari, & omnia ſibi licere audit: Vnum ergo putat opus eſſe Principis agere quodcunque concupiſcit: nam ſi quod honeſtas ſuadet, fas permittat, faciat tantummodo, nihil ſe à priuato differre exiſtimat. Itaque, ut oſtendat ſe Principem, ea peragit, imperat, mandat, quæ non modo Principis, ſed ne hominis quidem ſunt mediocriter inſanientis, polluit ſcelere ſuam & multorum conſcientiam, maximamque ſibi irrogat contumeliam, dum ſe de omni hominis dignitate deponit, nam nihil in homine ratione dignius, quàm abiicit ille cupiditatibus parendo. Et hic quidem tam fœdus, & turpis uitæ huius ſpacium peragat, at ubi ab humanis deceſſit, ad diuinas uenitur leges, quæ animam

eius nudam suscipientes miris uerberant modis, horribilibusque affligunt supplicijs, propterea quòd hic positus potentia principatus fretus leges humanas contempserit atque despexerit, dum non sibi, sed alijs scriptas arbitratur, quum tamen eas reuereri deberet, ueluti germanas & socias, & ipsarum diuinarum legum æmulas, deque earum ui pendentes, hos & tales parit ignorantia exitus, graues populis, qui illam experiuntur: grauiores ipsis Principibus, qui aluerunt & corroborauerunt: non enim diuina suppli cia humanis conferri possunt. Hos ego Tyrannos, qui non diem, imò ne horam quidem præterire sine cruore & rapina passi sunt, qui in cunctos Ty rannidem suam & sæuitiam exercuerunt, quales Græcia & Roma multos tulit, quæro quibus comparem. Nullum enim animal rationis expers, tam ferum immansuetumque uideo, quod non istorum crudelitate uincatur, nisi eos Basilisco libeat comparare. In eo enim uidetur natura qualemcunque effigiem sæuissimorum Tyrannorum effinxisse. Primùm communione nominis illis coniungitur. Græci Basiliscum, quasi Basilicum. Latini simili loquutione uocant Regulum. Deinde gestat in capite ueluti Diadema can didam maculam, reliquo nigricante corpore. Illud regum simile, quod non ut reliquæ eiusdem generis bestiæ humi repit lubrico multiplicique flexu, sed celsus & erectus in medio incedit. At pernicies quanta? necat non contactu modo, sed afflatu frutices, exurit herbas, rumpit saxa, hominem si aspiciat tantummodo, interimere existimatur, hunc & ipsi fugiunt serpen tes uim eius metuentes, ubi audiunt sibilum longè recedunt. Inuentum est uenenum, quod reliquis uenenis noceret. Similis Tyrannorum uita, non omnium quidem, sed eorum, quorum insignis fuit crudelitas, hi quo cunque incedebant, cuncta leua dextraque perusta cernebantur, suis & do mesticis, & his etiam, qui eiusdem iniquitatis fuerant participes, erant ter rori, quicquid contingebant, afflabant, atque adeo aspiciebant, id dominis, imò & cum dominis peribat. Hos ego Basilicis comparo, quanquam forsitan ineptè. Quis enim unquam Basiliscus tam latè uastauit omnia, quã Nero, Caligula, Domitianus, Commodus, Maximinus, Licinius, reliquæ Tyrannicæ pestes? Horum ego uitam miseram statuo & eo longè miseriorem, quo diutius illis impunè licuit peccare, nam peccatum sine pœna, maxima est pœna, quum impunitate proposita consuetudo peccandi protrahatur, indiesque augeatur & corroboretur, quo nihil deterius. Vt iam concludatur sermo, nihil tyrannico uiro miserius, nihil sapiente Principe fœlicius, & postquam de huius actionibus nobis loqui propositum fuit, easque sicut ingenii facultas tulit, protulimus, ecquod in terris æquè optan dum & tam conspiciendum, quàm peritissimus, omnique uirtute instructissimus & Deo, quàm simillimus Princeps? Vt enim Principis potestate inter homines nihil maius, sic eius munere nihil melius, si ut oportet administretur. Is enim est, qui quæritur & à nobis commendatus, non qui titu lo & honore principatus contentus negligat se ipsum & cæteros, uel ad insa niam libidinum suarum cuncta disponat, sed qui prudenter agendo ostendat se dignum tantis opibus tantoque munere. Vt enim uident omnes, quod unus omnibus imperat: sic uideant pariter omnes, quod unus omnibus

nibus debeat imperare. Hæc sunt, quæ in proposita quæstione cōfero in me dium: non autem tam longo usus essem sermone, nisi uestra me & auctoritas ad dicendum & oratio impulisset. A L B. Et elegantem Baptista, & gra uem, & ualido sententiarum robore instructam, tua denique prudentia di gnam orationem habuisti, & quantum ad me attinet, eam ualdè comprobo. Vnum tamen illud me (ut uerè dicam) commouit non leuiter, quòd & nos antea, & tu apertius in oratione tua posuisti, quæcunque peccant in rep. Principes, ea ab ignoratione proficisci, Vereor ne plerique contra hæc insurgant, asserentes non omnia peccata ignoratione, sed pleraque dolo et fraude suscipi, quum homines intelligant se delinquere, nec tamen abstinent à delictis indulgentes cupiditatibus suis. Quis ignorat adulterium esse delictum? nemo, imò fatebitur, quilibet hoc quòd tendit ad uiolationem fœderis maritalis & prolis incertitudinem, magnum esse crimen, & tam magnum, ut legibus pœna capitis feriatur, & tamen nullum in urbibus frequentius delictum. Si interrogaueris adulterum, cur id committat, an sciat se delinquere: nunquam dicet se nescire, sed illud afferet Medeæ ex Poeta insigni.

Video meliora, proboque, Deteriora sequor.

Enimuero scientia opponitur ignorantiæ, sicuti sibi ipsis inuicem opponitur uoluntarium & inuoluntarium, propterea quòd scientia uoluntratem ha bear facientis, ignorantia non habeat: omne autem peccatum uoluntate cō trahitur: aut enim id quod geritur, peccatum non est, aut si est peccatum, uoluntarium est, quum igitur ignorantia uoluntatem non habeat, caret eo, quòd propriè peccatum facit, non igitur ab ignorantia peccatum proficiscitur. Hoc uidisse uidetur Iacobus Apostolus in epistola, dum inquit. Scienti bonum facere, & non facienti peccatum est illi. Et Dominus in Euangelio. Seruus, qui cognouit uoluntatem Domini sui, & non facit, plagis uapulabit multis: ita enim dictum est de seruo cognoscente uoluntatem Domini, quasi extra omnem noxam sit, si ignoret. Non peccat, qui se peccare nescit: quamobrem nusquam ignorantia plectitur legibus, sed fraus (ut dixi) quæ non contingit sine consilio atque scientia eius, quod geritur, hinc negant uestri impuberem & furiosum capitalem fraudem admittere, fraudi autem adeo coniuncta est pœna, ut pro pœna fraudem ueteres ponerent, & si quis errore uel casu quicquam uetitum admisisset, fraudem idest pœnam cessare dicebant. Hinc ubi aliquis soluebatur legibus plebiscito uel Senatusconsulto, ne illud sibi esset fraudi, quòd contra legem ueniret caue barut. Quamobrem si Principes peccant in se ipsos & ciues, ita ut nesciant se peccare, ignoscendum est, eisq; parcendum, ut hominibus: multus enim error humanam uitam occupauit. Sin autem intelligunt se peccare, nec abstinent, falsum est, quod supponimus, Principes peccare ob ignorationem, nam etiam intelligentes se peccare, nihilo secius peccant. Non ergo in causa peccatorum est ignorantia: quam uitari posse diximus, si Principes doctri næ literis disciplinisq; incumberent: hoc rectè diceretur, si nescientes pecca rent Principes, sed si scientes eadem faciunt, cur pro remedio confugimus ad scientiam nihil profuturam, quasi non habeant, ac non potius iubemus,

ut rationis fræno comprimant eorum libidinem, cui nunc scientia succumbit. Non enim ignorabat Nero se delinquere, quum matrem interfici iubetet, & quum Senecam præceptorem eodem donaret munere, ut taceam de aliis eius cædibus & rapinis, quibus in optimum quenque irruebat, quæ omnia apertè nefaria erant, & scelerata. Hæc mihi nunc occurrunt Baptista, quæ obiicerem orationi tuæ, sicut sæpè aliud alias occurrit, quæ ut discutias oportet, & diluas, si modo fides orationi tuæ, & superioribus nostris sermonibus constare debet. B A P. Mouisti Alberte quæstionem, non nunc primum, sed iandudum inter ueteres Philosophos agitatam pluribus sermonibus, dum quærunt subtilius, quæ sit origo, semen, & causa peccandi, his illud, aliis aliud censentibus: non enim conueniunt sententiæ, ut sunt diuersi ingeniorum captus. Quanquam his, quæ nuper obiecisti Al berte (si rectè memini) occurrit antea Marcus, sed paucis, ueluti præteriens, & aliud agens. Veruntamen si plenius desideratur responsum, & de re tota uis audire aliquid spatiosius, non deero huic uoluntati tuæ, nam si cessaro, perierit nobis omnis superior oratio, quam tamen rectè positam existimo. Assentior nanque Platoni, qui asserit omne peccatum ab ignoratione proficisci. Nemo enim peccat, nisi quia id quod peccato assequitur, putat bonum, quanuis re ipsa malum sit, uerum opinio boni id efficit, qua erepta non reperiretur, qui peccaret. Absurdum porrò est dicere aliquem præsente scientia deligere id quod est deterius: nam dum id dicitur, illud dicitur inimicum esse eum sibi ipsi, quod fieri nequit: nulla enim natura maior commendatio, quàm sui ipsius ad se ipsum, deligit igitur, quod sibi uisum est melius; quum autem id quod deligit, non sit melius, sed peius, non scientiam illo in iudicio, sed falsam opinionem affuisse dicemus, adiu tam à prauis cupiditatibus aduersus rectam rationem. Etenim in bonorum malorumque ad uitam pertinentium delectu, communia & generalia uident omnes, nec in his ulla est aberratio. Falluntur autem ubi ad propria uentum est, nam non persistunt tunc in sententia, propterea quòd quæ sen sibus lenocinantur magis sequuntur, eisque notioribus immorantur. Hoc ostendere possum persequens eadem exempla, quæ à te allata sunt. Interroga adulterum, sed ex his unum, qui non erubescat de hoc crimine, sed libenter fateatur, uel de illo potius glorietur; tales enim multi. Dic huic. Adulterium num censes esse malum? Fatebitur, si aliquam habet partem sani iudicii: nam & naturalis ratio id admonet, quæ plurimum potest, & illud quoque quod in propria uxore id recusaret. Sequere. Tu ergo cum hac & illa nupta adulterium committis: hoc quoque fatebitur, nam unum ex his facimus, quem non pudeat huius criminis, sed libens agnoscat. Perge porrò, ut concludas. Ergo malum est tibi cum hac & illa muliere adulterium committere, negabit: uel si forsitan fateatur, uerbo id dun taxat fatebitur, sed animo neutiquam assentietur: non enim si hoc malum sibi esse existimaret, illud patraret: Diuertit enim tunc ad alia, & cogitat, quàm iucundus sit amicæ complexus, eamque iucunditatem sequendam putat, nec malè, nisi repugnaret honestati: in hoc enim aberratio, quod

tanti

tanti æstimat oblectari, ut id præferat honesto, & dum id facit, bono suo se id facere arbitratur. Is ergo, qui utitur illo carmine. Video meliora, proboque. Deteriora sequor, non ea profert ex animi sententia, sed ea propugnans adhuc pro recto aduersus sensuum illecebras. Ita enim Medea secum disputans & certans à Poeta inducitur. Nemo autem sponte sequitur deteriora, qui firmiter & inconcussè iudicat alia esse potiora Nero interfecit matrem, non quia nesciret matrem à filio interfici esse malum, sed quia eam matrem, quam tunc habebat, interfici bonum esse existimauit specie falsâ deceptus opinati boni: non enim illud uerè bonum erat, sed malum, quia parricidio se inquinauit fœdissimè. Similiter nouerat Nero hominem necare malum esse, præsertim præceptorem summa grauitate & sapientia preditum. at hunc hominem, & hunc præceptorem, quanuis summa grauitate & sapientia insignem necare, bono sibi esse putabat. Falsò id quidem, sed putabat tamen: non enim ea patrans parricidia, rebus suis malè consulere existimabat, sed optimè. Eadem ratio est de cædibus aliis, rapinis, sacrilegiis, incendiis, quæ ille, ut profutura suo imperio committebat. Hæc est illa ignoratio, qua detinentur improbi, quod primum priora concedunt, non tenent deinceps consequentia, & quod in genere malum esse uident, id in specie oblata bonum sibi esse arbitrantur. Dicis peccatum nasci uoluntate, ignorationem autem non esse uoluntariam, ego autem existimo non omnem ignorationem esse inuoluntariam, sed quandam suscipi uoluntate: nam sponte sua ignorare & capi uidetur, qui quod in uniuersum scit esse malum, ubi ad se & propriam conuertit causam, id bonum esse existimat: sicut enim qui nouit omnem mulam esse sterilem, nunquam dicet hanc uel illam mulam esse fœcundam, dummodo sciat esse mulam, & si diceret, repugnantia diceret, & turpiter errare uideretur, sic qui nouit omne adulterium esse malum, si deinceps dicat aliquod adulterium esse bonum, nonne turpiter labitur opinione? & existimandum est uoluntate id ignorare, quia in eo positum fuerat cupiditates proprias frænare, à quibus abstrahitur, ne aut communia tunc consideret, uel si considerat, ut ea postponat, & falso concludat: magna autem uis est cupiditatum, ita ut non modo rectam rationem aspernentur, sed quandoque obruant & extinguant, ut opus eius omni ex parte impediatur, licet plerosque cernere ita iracundiæ motu efferuescentes, ut usum rationis amisisse uideantur, alios nimio amore ita concitos, ut in insaniam incidisse crederentur: immutantur enim in tam uehentibus animi perturbationibus corpora, ideo nimirum si ratio tunc nihil agat, sicut nec in somno, nec ebrietate quicquam agere potest. Peccata autem nasci ex ignorantia, illud quoque indicat, (ut ipse quoque utar sacrarum literarum testimonio) quod Daniel in alterum ex senibus, qui pudicitiam Susannæ attentarunt, eiaculatus est. Species te (inquit) senex decepit, quid est hoc? Num formosæ mulieris species decipere potest? certè ex se non potest, nisi adiuuetur cupiditate oculorum. Eleganter sanè Daniel, qui quod materiam

præbet

præbet deceptioni, perinde posuit ac si id ipsum efficeret deceptionem. Verùm autem si amare uolumus, sua quenque cupiditas ad deceptionem trahit, dum quæ suauia sunt sensibus, prima ducit, posteriora, habet quæcun que recta ratio, diuinæ & humanæ legis auctoritas mandat, atque ita se rem habere, ipse quoque Daniel ostendit, nam postquam dixerat ad senem illum. Species te decepit, subdidit, & concupiscentia subuertit cor tuum. Num tu aut quisquam alius Daniele sapientior? ut quæ ille censet, reiicere ualeamus, censet autem ex deceptione nasci peccatum, constat sanè eum, qui decipitur aliquid ignorare, unde illa deceptio nascatur: Nemo enim sciens decipitur. Peccata igitur ex ignorantia nasci fatendum est. Nam quod subiecisti deinceps Alberte legibus non plecti ignorantiam, sed fraudem dumtaxat & dolum, fateor non puniri ignorantiam legibus, si peccarunt nescientes, quid agerent hi, quibus usus rationis, uel nondum aduenit, uel ereptus est, quales sunt pupilli nondum proximi pubertati, furiosi, dormientes: hos enim commemorasti. Affectatam autem & supinam & simulatam ignorantiam puniri dico, quum aliquis dat operam ne intelligat, uel ignorare se dicit, quod omnes norunt, uel fingit se nescire, quod planissime nouit. Item & punitur ignorantia in eo, cuius culpa factum est, ut ignorans delinqueret, hinc punitur ebrius si delinquat, quia in ipso situm erat, ne in ebrietatem incideret. Noli putare Alberte leges nostras ignorantiæ esse patronas: non enim hanc omnino prætereunt, sed puniunt sæpè, ut nuper audisti. Illud quoque scito (quod ad rem pertinet) plecti quoque legibus ignorantiam, ubi artifex inscitiæ accusatur: non enim huic quæ artis suæ sint, ignorare conceditur, non auditur, qui profitetur autem, si deinceps ignarum se artis esse dicat, & petat errori ueniam: non enim profiteri, & in artificum numero debuit se collocare: similiter si cui munus aliquod iniungitur, inquirere, inuestigare, scire denique debet, quæ ad implendum illud munus pertinent, ni faciat, ignorantiæ reus tenetur, aut manda tum non suscepisset si illud erat neglecturus. En illud est, quod Marcus iaculabatur in Principes, quod quum Princeps nomen sit officii & artificii cuiusdam, eius scilicet, quod ad regimen populorum pertineret, sint ipsi in opere propriè negligentes, nec sciant, ac ne curent quidem scire, quæ sui sunt officii, sed temerè agant omnia & inconsultè neglectis disciplinis, unde id scire possint. Qua propter ignoratio fraudi illis esse debet, ab ignoratione autem proficiscuntur peccata omnia, quemadmodum dictum est, quoniam pro bono suscipitur, & amatur id, quod malum est, & pro utili, id quod est calamitosum. Res autem omnis huc tendit Alberte, ut fraudem uel domum censeatur admittere, qui scienter (ut sic dicam) ignorat, talis est autem ille, qui quum in eius potestate positum esset cupiditates animi temerarias ratione repellere, id facere neglexit, ita ut uideatur de industria non uerum, sed apparens & imaginarium bonum sequutus fuisse, habet quicunque peccat ex ignorantia hoc quod uana capitur boni specie, nec ferre uidet sua gaudia uentos, ex malitia illud, quod ignorantiam hanc cu piditatibus suis reiectis non teppellit, nec curat discere, quid uerè bonum sit quidue malum, dum se ipsum non rectè & ordine, sed intemperanter amat.

amat. Ergo & priuatus omnis & magistratus, & multo magis Princeps, qui tanto rerum tumori præpositus est, studeat in primis, ut boni & mali notitiam assequatur, deinde eam animo altius inserat, agendo assiduè optima quæque, & in his se exercendo. Virtus enim hæc, quæ ad mores spectat, non natura generatur in nobis, licet ad eam suscipiendam natura apti simus. Comparatur autem usu, actione & exercitatione, hinc mores sunt dicti, quod consuetudine quadam in nobis procreentur. Sicut enim fabricando fabri (ut aiunt) fimus, similiter agendo iusta, iusti efficimur, subeundo magno animo formidolosa, fortes abstinendo à turpibus, uoluptatibus temperati, largiendo liberales, proficit autem in hoc disciplina, quod ostendit actiones eas bonas esse, & rectas & honestas, atque etiam utiles, & à quocunque, qui rationis compos haberi uelit suscipiendas, uias præterea tradit, quibus unumquodque rectè & facilius effici potest. Hæc qui studuerit persequi, credo equidem auxiliante Deo fore, ut sibi ipsi & cæteris indies reddatur utilior. Sin aliter, ruet assiduè (quantum ego sentio) in peiora. Nemo ab omni uirtute confestim deficit, sed paulatim per partes effluit. Nemo repente fit turpissimus, sed certis nequitiæ gradibus ad summa scelera prolabitur. Propone tibi exempla horum Principum, qui sceleratissimi extiterunt, nullus inde cœpit, quo incredibile fuit eos peruenisse, corroborat se ipsam in minoribus audacia & impudentia: ut inde ad altiora progressus fiat. Specta Neronem, ut huius exemplo utar, qui modo commemorabatur. Puras ne initium scelerum à matris parricidio duxisse? Ille uero antequam huc ueniret, & infinitas ciuium cædes fecerat, præceptorem occiderat, fratrem, amitam, priuignum, uxorem necarat, mater restabat, his iam peractis eam posterius aggressus est, ut omnem improbitatem impleret. Doctrina autem fieri potest, ut Princeps hanc sequens putet sibi omnia tempora obseruanda, ne peccet etiam in minimis, quoniam qui ab his temperarit, sibi aditum quodãmodo obstruxit in maio ra irruendi. Hæc habui Alberte, quæ dicerem ad obiecta tua, quæ si non di splicent, satis est, sin autem nondum illa repulsa opinaris, hortor ut rem totam & nobiscum & cum aliis diligentius consideremus. A L B. Non alia opus consideratione Baptista. Rem ipsam, quæ ueneratin contentionem, dilucidè explicasti, & tam firmiter & ueraciter, ut iam nemini dubia esse possit. Si quid autem aliud dicendum est, quod minimè fuerit discussum, id aggrediamur. M A R. Nondum deesse nobis existimas, quid dicamus, & rectè fortasse. Suggeruntur enim mihi quædam, & à quo mihi suggeran tur non uideo, quæ non abhorrent à proposita quæstione. A L B. Effundas ea licet, postquam uenam ingenii adhuc scaturientem in te sentis. M A R. Faciam, ut te uelle uideo. Veruntamen conquiescere paulisper, & ueluti me ipsum colligere decreui, tanquam longo iam fessus itinere. Deinceps reliquo sermoni dabimus operam. A L B. Vt uidetur.

MARCI

MARCI ANTONII NATTAE ASTENSIS,

DE PRINCIPUM DOCTRINA

LIBER SEPTIMUS.

MARCUS.

SUPERIORIBUS sermonibus Alberte ostendimus, quæ & quanta sit in Principibus ferè omnibus inscitia, & quantam hæc, tum illis, tum populis, quibus regendis præpositi sunt, afferat calamitatem, & ne quis bonarum artium hostis obiicere posset, id nos inaudita parte censuisse, extitisti tu Alberte, qui aduersariorum partes susciperes eaque ptoponeres, quibus illi causam suam protegere solent, idq; tuum factum non modo molestiam nobis attulit nullam, uerum etiam ingentem uoluptatem: non enim nunc possunt illi nobis obiicere, quod quicunque statuit aliquid inaudita parte, tam &si æquum statuerit, ipse minimè est æquus. Nos contraria audiuimus, te huic rei operam dante. Ea quàm leuia essent & inania, patefactum est sermone meo & fratris. Quid igitur his addi potest? Illud, ut opinor. Ego &si turpium facinorum causam ascribam omnino Principibus ipsis, qui ea admisserunt, non tamen ab omni culpa defendo populos. ALB. Quomodo id dicis? aut quare ira tibi uidetur? MAR. Quoniam ctedo ego populorum peccata promereri, ut ab omni humanitate & doctrina alieni uiri dominentur, gerantque se (ut consentaneum est efferis eorum moribus) asperè & truculenter, uidente, quæ fiũt diuino numine, & ea fieri concedente, nam ubi in malos seruos peior datus est dominus, dignum (ut aiunt) patella operculum, & quod de Asino carduos tondente dictum est, similes habent labra lactucas. An non uides, quid in sacris uoluminibus minetur Deus Iudæorum populo ob eius nefaria scelera? Te enim illis in rebus nemo peritior. Memento quid illic sæpe legeris. ALB. Memini. Minatur illis pueros, & hypocritas, & facinorosos reges. MAR. Cur hoc? num ob Iudaici populi sanctitatem, an ob scelera? ALB. Ridiculum est dicere ob sanctitatem. Nemo enim bonus bonis mala minitatur. MAR. Ob scelera ergo. ALB. Manifestum id quidem. MAR. Tyrannos igitur immittit sæpe Deus in populos, ut eorum puniat nequitiam, & contundat superbiam, & coerceat intemperantiam. Neque inficiari hoc potest quisquam, quoniam Deus, qui Propbetarum ore loquebatur, nescit fallere, aut mentiri. Das ne mihi hoc esse uerum? aut quæris maiora testimonia, quàm diuina? ALB. Minimè. Do quod uis, nec datum unquam reuocabo. MAR. Quid si doceo falsos gentium Deos eadem protulisse? Erant illi quidem impurissimi Dæmones, ueruntamen uera multa pronuntiabant, seu, quia id facerent imperio maioris potestatis coacti, seu ut simulata uirtute fallerent deinceps maiori mercede in studio ueræ religionis.

nis. ALB. Quid est igitur illud, quod isti hac in re pronunciauerunt? MAR. Audies. Aegyptiis Reges semper extitisse constat. Quum uerò iam plures regnassent, & ad Mycerinum quendam regnum peruenisset, ex urbe Buti redditum ferunt oraculum, fore, ut sex omnino annos uiueret, septimo extingueretur. Ipsum id ægre ferentem misisse ad oraculum querimoniam huiusmodi, quod quum pater suus patruusque, qui Deorum immortalium contemptores fuissent, templaque claudi iussissent, infinitosque præterea homines perdidissent, tandiu uixissent, ipse piè faciens tam citò uitam finiret, responsum ab oraculo remissum, ob hoc ipsum propere extinctum iri, quod pius esset, nec faceret, quod fieri oporteret. Oportere autem centum quinquaginta annos Aegyptios affligi, idque duos, qui ante se fuissent Reges didicisse, ipsum uerò nequaquam. Hæc de Herodoto. Plutarchus uerò in libello, quem de sera Deorum ultione inscripsit, refert de Sicyoniis, quod quum impia quædam & scelerata egissent in athletarum certamine Pythiis, respondisse Deum Sicyonios flagellatoribus indigere. Nec multo post exortos Sicyone Tyrannos, alium alio nequiorem, qui corruptos eorum mores ab omni intemperantia purgarunt, Orthagoram, Myronem, Clisthenem. simile dicit fuisse Pharmacum Agrigentinis Phalarim, Romanis Marium. Vides ueterum quoque Deorum testimonio dari in populos efferos & immites Tyrannos, qui suis utentes moribus irruant quoli bet, & cædibus, exiliis, uinculis, uerberibus, expilationibus, rapinis humiliores reddant populos & modestiores, nec conqueri illi iure possunt, quod Tyrannicam potestatem expenantur, ultricem scelerum, moderatricem flagitiorum. Sed quid etiam bonus & egregius faciat Princeps, ubi in populi corruptos inciderit mores? Neminem ille quidem lædet bonum: nemini erit iniuria grauis: mitior etiam erit in pœnis, sed tamen illum quoque oportebit multitudinis improbitatem aliquo pharmaco coercere: aspero quidem & tristi: ueruntamen salutari & necessario. At nec pœnarum timor eximitur sub bono Principe, sed hoc bonus præstat Princeps, quod non ipse, sed leges tantum timeantur, quanquam ne hæ quidem timeantur ab his, qui secundum ipsas uiuere decreuerunt. Neminem enim leges offendunt, nisi eos, à quibus ipsæ prius offenduntur. Melior sanè fuit conditio uetustissimorum illorum Regum, qui ab initio humani generis extitere runt, facilior tunc offerebat se imperii administrandi ratio, propterea quòd homines tunc sponte sua ius & æquum colebant.

Proque metu populum sine ui pudor ipse regebat
Nullus erat iustis reddere iura labor.

Vt elegantissimè cecinit Pelignus Poeta. Erant illorum quidem temporum aurei (ut poeticè loquar) homines, quibus non multò post successerunt argentei, hoc est, non tam laudabiles, quàm prius fuerant, attamen tolerabiles. Nunc in ferrea hac ætate aduersus dolos, fraudes, insidias, scelera multorum magna proponitur bono Principi luctatio, adeo, ut ad hæc superanda ui sit opus, & cædibus, nonnunquam & eiectionibus purganda ciuitas, periti Medici more, qui abscindit, exurit, aufert, quo reliquo corpori bona ualetudo seruetur. ALB. Aurea semper efflorescet ætas Marce

K ubicun-

ubicunque bonus populis præfuerit Princeps. Nam illa improborum coercio, tametsi non sit optabilis, affert tamen pulchritudinem quandam, ut à te aliquando est dictum, dum culpæ pœna æqua rependitur. Nihil tam par est, quam, ut qui dolo uitam eripuerit alteri, amittat suam: Qui alterum iniuria uerberarit, ipse quoque uerberibus subiciatur: Qui pauperiem alicui intulerit, pauperior ipse efficiatur, damnum resarciendo, & suo tantundem pecuniæ inferendo. Hoc sequuti sunt ueteres illi duo Heroes eximiæ fortitudinis nomine insignes, Hercules, & Theseus. Illi nanque quum terrarum orbem à monstris pacare uellent, non satis habuerunt famosos latrones tollere, sed hoc iustitiæ, hoc gloriæ suæ conuenire existimabant eodem pœnæ genere eos affligere, quo ipsi antea alios affixissent. Quamobrem Hercules Diomedem Thracem, qui pascere humana carne equos solebat, eisdem equis pro pabulo proiecit. Antæum Lybicum, qui luctando uiatores necabat, eodem palæstræ genere interemit. Busiridem Aegyptium, qui hospites immolare solebat, uictimam fecit. Traditum est etiam de Termero quodam, qui cunctos, qui in se inciderant, uerberibus capitis ad mortem adigebat, hunc quoque Hercules multis percussionibus in caput illatis peremit. Eodem exemplo, eademque animi magnitudine præditus Theseus Scyronem, Procustem, Sinnim obsessores uiarum, ultus est, nam quæ alijs excogitauerant supplicia, in ipsos conuertit: quæcunque fecerant impij isti & facinorosi, eadem à uiro omnium fortissimo & generosissimo retulerunt.

Neque enim lex iustior ulla est.
Quam necis artifices morte perire sua.

Intelligere potes Alberte ex sacris quoque literis hæc supplicia Deo placuisse: Nam in Iudicum libro legitur, quod quum Hebræi aduersus Cananeos Pherazeosque pugnassent, & utrosque prostrauissent. Ducem eorum Adonibezechum fugientem persequuti apprehenderunt, eique summitates manuum ac pedum absciderunt, quod ubi factum est, dixisse fertur ille Septuaginta Reges amputatis manuum ac pedum summitatibus colligebant sub mensa mea ciborum reliquias. Sicut feci, ita reddidit mihi Deus. Denique nihil æque conuenit, quàm malos malè perire, & exempla in uulgus edere, ne quis posthac eos in scelere imitari uelit. Quamobrem nihil est quod horreas Marce suppliciorum acerbitatem. Nam hæc in malos sub bono Principe grata sunt, & quàm pulchrum iustitiæ bonum sit ostendunt, cuius magna pars est sontes punire. Rogandus est quantum fieri potest, summus & æternus Deus, ut caritate sua illa ingenti & misericordia omnibus nota der bonos Principes, id si fecerit. O beatos populos, Aurea redutur ætas seculo illis dominantibus, id quod etiam Domitianus crudelitate inter Cæsares famosus penè uidit, sed per somnium: nã quum somniasset gibbam auream sibi post ceruicem enatam, ex eo interpretatus est beatiorem post se lætioremque portendi reip. statum, quod etiam euenit non uictorijs aut auctis imperij finibus, sed præstanti uirtute subsequentiam Principum, qui moderatius imperarunt. MAR. Auream mihi uideris Alberte ætatem somniare non minus, quàm Domitianus: ego certè ad senectu-

tem

tem usque (Deo benefauente) progressus, nusquam oculis eam meis uidi uigilantibus: effigiem tantum quandam cernimus animo, re non tenemus, nusquam adest, nec aderit, (ut opinor) in uniuersum, quoniam si Euangelio credimus, cui credendum est omnino, deteriora erunt nouissima prioribus. Nisi fortasse libeat tibi Alberte auream uocare ætatem, quemadmodum uocat Poeta quidam, cuius illa sunt carmina.

Aurea nunc uerè est ætas: nam plurimus auro
Venit honos, auro conciliatur amor.

Si ita accipis, nobis quoque nunc ætas floret aurea, nam plurimum nunc aurum honoratur: uel auream nunc possumus uocare ætatem, ab auri copia, quam nouo & inaudito hactenus more ab Indis usque sub alio cœli axe positis Hispanorum Lusitanorumque classes in Europam, ad suos portus propriaque litora deuehunt: sic nunc quoque nata fuerit aurea ætas. ALB. Et si Marce re ludere uideo, mihi tamen uerè hoc aureum uidetur opus, quod nuper Hispani gesserunt. Illi nanque Indos tam procul à nobis iacentes inuenerunt, per inaccessum olim oceanum uela dantes relicta arcto, ignotum cœlum, ignotaque sequentes sidera. Terminus olim positus fuit nauigationibus: ultra quem progredi debatur nemo: hi primi spretis limitibus classem nouis litoribus applicuerunt, magnumque fuit alias gentes nationesque inuisere, quas nulla nobis uox, nullas famas notas fecerat? MAR. Cur non inuenisse potius dicis, quum non modo, quæ essent, sed num ullæ essent gentes ignoraretur? ALB. Fateor inuenisse, & hoc est, in quo magnopere gloriantur. MAR. Hoc quod magnum existimas Alberte, ne gligunt Hispani: non enim tam gloriantur, quod gentes inuenerunt nouas, quàm quod inuenerunt aureas, nam exportato auro, ex aureis reddiderunt argenteas, rursus ex argenteis reddent, si uidebitur, æneas: sed omittamus quæso aurum istud Indicum, quod nemo nostrum uidit aut attigit. Redeamus ad illud, de quo nobis propositus fuit sermo, & uideamus quantam afferat doctrina in Principe sibi & populis fœlicitatem, & econuerso quantam inuehat utrisque cladem inscitia. ALB. De hoc iam tam multa dicta sunt, ut si quis alius hanc unquam sibi sumpsit materiam ad dicendum, nihil dixisse, aut inuenisse possit uideri. Sed perge porrò, postquam adhuc aliquid addendum putas, ut cumulatior reddatur sermo & perfectior. MAR. Omnis labor meus in eo uersatur, ut ostendam, (si modo id assequi ualeo) Principum scelera ab ignoratione proficisci, dum sectantur ut uile, quod noxium est, ut bonum, quod est pessimum: quod sanè ignorationis genus deterrimum est, dum putat aliquis scire, quod nescit, nam sic affectus difficillimè corrigitur: iam enim scientiæ opinione elatus non audit contraria suadentem. Vbi autem quispiam simpliciter quid nescit, & sentit se nescire, potest sciscitans ipse, uel ab alio admonitus uerum cernere, idq; amplecti, & melius agere: sed non is, qui suasit sibi aliquid iam notum esse, nec errare se putat.

Regia res scelus est, socero cape regna necato.

Vox hæc Tarquiniæ est nobilis Poetæ uersu expressa. Dici uix potest, quanta sit parricidii labes, quàm immanè sit facinus uitam eripere ei, à quo ipse

susceperis, & pro quo mori honestum esset, attamen hæc mulier uiro illud mandauit, quin etiam per interfecti corpus patris carpentum egisse dicitur: nec illud suadens consulere sibi malè existimabat, sed optimè, quoniam se per id ad regnum peruenturam uidebat, sicut postea peruenit. Num uerum nouit? Minimè, imò errore, inscitia, cæcitate mentis in id prolapsa est, dum bonum summum putat regnare, etiam si scelere ad id perueniatur. Falsum id quidem. Est enim maius innocentiæ bonum, quàm ullæ regiæ opes, præponderat mansuetudo, humanitas, clementia, pietas omnibus imperiis. Non igitur proiicere hæc debuit, ut illa acquireret, nec proiecisset, nisi quòd errabat, & rerum pondera non tenebat. Sed quid hæc? Indicat ipsa se ignorare, dum inquit Regia res scelus est. Quis non perspiciat uel lippientibus oculis hanc ignorantiæ esse uocem? Ita ne uero res regia scelus est? imò quidlibet aliud est potius Regium, quàm scelus. Reges enim proditi & inuenti sunt ea maximè de causa, ut ius ualeret idest ne scelus fiat, hæc autem opinatur ad Regem id pertinere, quod, ut ne fit, ipsi Reges constituti sunt, sed Regium quoque ipsum nomen eius aduersatur sententiæ. Rex enim à regendo dictus, quomodo autem regit, si labitur in uitia? si nocet scelere? Regula autem ista qua utuntur Architecti, sicut affine regi possidet nomen, ita quadam etiam officii societate iungitur Regi: nam rectitudine summa pollens ipsa dirigit inferiora opera, & efficit (ut ita loquar) iustiora & meliora: non igitur alienum erit huius exemplo admonere Reges, quales eos esse deceat, quemadmodum igitur regulam rectitudine præstare oportet, quia cætera, ut recta sint, efficit, sic par est, ut Reges præbeant se rectissimos, si modo, ut eorum congruit officio, cæteros mortales dirigere, & æquitatem in his inducere nelint, & ut rectitudo conuenit regulæ & Regi, ita obliquitas uitium in utroque: sed eo maius in Rege uitium, quo maiora illi regenda commissa sunt. Si obliquitatem igitur ponimus in scelere, rectitudinem in uirtute, non est regia res scelus, sed uirtus. Falsum igitur hoc. Regia res scelus est. Item falsum illud:

> Nam si uiolandum est ius, regnandi gratia
> Violandum est, aliis rebus pietatem colas.

Capitalis (inquit Cicero) Etheocles uel Euripides potius, qui id unum solum, quod omnium fuerat sceleratissimum, excoeperit. Occæcat in his animos falsa utilitatis species, quum regnum adipisci quolibet scelere utile putatur, noxium id profecto, quum nemini expediat delinquere, non modo regni alicuius adipiscendi gratia, sed ne si possit quidem cœlo & sideribus, cunctis denique animatis, atque inanimatis imperare. Errauit ergo Tarquinia, dum patris interitu aditum sibi ad regnum comparauit. Simili errore ductus Antoninus Bassianus, de quo antea dictum est, cui, quum occultæ insidiæ, quas ad Getam fratrem consortē Imperii struxerat, parum proderent, ui randem aggressus hominem suis manibus peremit. Vtilius enim ei uidebatur solùm imperare occiso fratre, quàm eo incolumi habere alterum imperii socium: nec uidebat ille magis esse noxium contaminare se parricidio, quàm proficuum augeri imperio, & tamē in illo suo errore quærebat ansam tegendi facinoris, nam iram timens militum statim in castra profectus est, gladium

gladium districtum tenens adhuc cruentum, similis attonito, multisq; concurrentibus sciscitantibusque quid rei esset, magnum periculum euasisse dicebat: uix uiuum effugisse: Deorum factum in se beneuolentia: ut è duobus Imperatoribus unus ipse superesset, quum tam ambiguo & perplexo sermone uteretur, rem magis intelligi, quàm ipse exponere malebat. Deinde sequentibus diebus multa in Senatu & in populi concione attulit, ut dilueret crimen, iam fratrem palàm accusans, & id agens, ut non uim intulisse, sed repulisse uideretur. Vix enim quisquam reperitur, qui facinori suo aliquam iuris defensionem non obtendat, ut infamiæ effugiat notam, & cæteris minus displiceat. Eadem causa est Romuli, qui Remum fratrem sustulit, ut solus potiretur regno, & tamen muri transgressionem hic ei opposuit, causam afferens (ut ait Cicero) nec probabilem, nec satis idoneam. Hoc perspiciens Poeta illa protulit musis omnibus approbantibus.

Nulla fides regnis sociis, omnisque potestas
Impatiens consortis erit.
Fraterno primi manda uerunt sanguine muri.

Scribit Plutarchus in Demetrii uita eos, qui Alexandro Magno in Imperio successerunt, habuisse hoc præcipuum, ut fratres tollerent, quemadmodum (inquit) Geometræ petunt ab auditoribus concedi sibi quædam, quæ probare nequeunt, ut reliqua deinceps persequantur, sic illi putabant concedendum sibi ab omnibus communi quodam regio iure, ut stabiliendi regni causa fratres occidere liceret. Tanta est libido regnandi, ut diuina & humana iura omnia permisceat, & usurpare uideatur ueluti concessa precario, seu per præuaricationem quandam, quæ neutiquam conceduntur. Herodes Ascalonita, qui externorum primus Hierosolymæ regnauit, filios etiam occidit, in quem illud Augusti malle se Herodis esse porcum, quàm filium: Iudeos enim suilla abstinere notissimum est. Hic est ille Herodes, qui multa puerorum millia infra bimatum interfecit, quod Christus in lege promissus diceretur esse natus, sicut Euangelica prodit lectio, & Philo hebræus de temporibus, & Macrobius secundo Saturnalium meminit. Vetera exempla colligo, quia recentia proferre nimis odiosum esset, nec arbitror tutum ubi sermonem hunc nostrum foras efferri contingeret. Etenim in mortuos, quorum tantum extat memoria nominis, quiduis licet, uiuentibus & iis, qui paulo supra hanc ætatem extiterunt, parci etiam humanitas postulat. ALB. Tu uero Marce perge, ut cœpisti, nam his exemplis contenti sumus, quibus utaris: non enim sicut in uestibus plurimum refert uetustis an nouis uteris: sic & in exemplis: nam quantum attineat ad rei demonstrationem, idem possunt uetera, quod noua, imò uetera potiora, quia uulgo sunt magis nota, et de his minus ambigi solet, ut de quibus multorum literis commemoratum sit. MAR. Ego Alberte quæcunque dixi nuper, duorum causa exposui. Primùm ut docerem scelera Principum ab ignoratione proficisci, quæ tamen sapientia illis uidetur. Deinde, ut intelligatur non esse nouam hanc uocem, sed iampridem iactatam, scelera Regibus conuenire, tam & si non his uerbis efferant (ut opinor) hi qui illis assentantur, sed alio cautiore utentes sermone occultato sceleris nomine & uirtutis utcunque

cunque inducto, aiunt omnia honesta esse regibus, quod tamen quum Antigonus Macedonum Rex à quodam audisset, accepit dictum pro barbaris Regibus: nam nobis inquit sola honesta sunt honesta: sola iusta sunt iusta. Demetrius Rex huius Antigoni fuit filius. Is quum præsidiis Ptolomæi Regis deiectis Athenas liberasset, & suis uti legibus uoluisset, effuderunt in eum Athenienses immensos honores, & Diis penè æquarunt, summis adulationibus utentes. Illud uero intolerandum, quod statuerunt, ut quodcunque Demetrius postulasset, id & diis sanctum, & hominibus iustum uideretur. Est penes Herodotum de Cambise Cyri filio Persarum Rege, quòd quum sororem eisdem patentibus genitam cuperet ducere, nec id tamen inter Persas fieri uideret, interrogauit Iudices Regios, quos in consilio adhibere solebat, ecqua lex in Persis sit, quæ permittat sororem fratri nubere, nam se cupere matrimonium sororis, uiderent ergo quid liceret. Illi adhibita multa deliberatione, quid sibi faciendum esset, quum hinc iusgentium, & naturalis ratio adesset, illinc cupiditas Regis obstaret: tandem referunt nullam inueniri legem, quæ id permitteret, quandam tamen esse legem, qua concederetur Persarum Regi facere, quicquid uellet. Huius legis auctoritate fretus Cambises sororem (ut cupiebat) duxit: & sapienter illi Iudices fecisse existimati sunt, quod & uerum retulerunt, illud scilicet non licere, & ne ipsi perirent, si cupiditatem Regis refutarent, legem aliam suppeditauerunt, qua uni illi id licere offenderetur. Haud dissimile factum Seleuci Syriæ, Asiæque Regis, qui quum Stratonicem, quam uxorem habuerat, amanti Antoicho filio uellet concedere, si mulier re insolita perterrita repugnaret, mittendum amicos dixit & familiares, qui eam doceant & persuadeant quæcunque utilia uisa sunt regi, eadem iusta & honesta esse. Nec ita multo post Antiocho & Stratonice superioris Asiæ regibus declaratis nuptiæ ingenti apparatu summaque rerum magnificentia celebratæ sunt, festaq; ubique in regno Seleuci pro nouo coniugio populi agitauere. A L B. Multa his consimilia hodie geruntur (si uera licet dicere). Nam Iurisconquos sibi in consilio adhibent Principes, eorum potestatem æquant diis immortalibus, supra omne ius statuentes. M A R. Noli quæso Alberte Iuriscon. ordini detrahere, cuius honori & gloriæ semper fausti. Sunt in hoc ordine permulti uiri boni & graues & sapientes, quos non decet ob quorundam peccata in inuidiam iniustumque odium uocare. A L B. Non est assertio mea de omnibus, qui iuri dant operam, sed de nonnullis, quos ego noui Principum potentiæ assentari, suaque sententia omnia illis concedete. M A R. Vt sint ista, quæ dicis Alberte, num Iurisconsultis putas turpe mala suppeditare consilia, ipsis autem Principibus præclarum malos eligere Consultores? Equidem sic existimo huius culpæ magnam partem residere in Principibus, qui deligunt eos in consilio, quos facilè intelligunt cupiditatibus eorum fauturos, & ea dicturos, quæ libenter ipsi audiant. Princeps autem prudens atque bonus facilè abigit adulatores, nec consistere in conspectu patitur, debetq; et multum populus omnis non tam pro suis, quàm alienis moribus, quia non erit, qui praua suadeat, ubi non adest, cui suadeatur. De potestate autem Principis in leges, sic habeto Alberte posse Principem

cipem his derogare legibus, quæ leuibus & non satis constantibus causis inductæ sunt, aut quibus sublatis nemini ius suum aufertur, nemini contumelia irrogatur. Leges uero ex usu reip. latas, quarum fundamentum est sanctitas, iustitia, populorum libertas, pax ciuium atque concordia: quibus mos gentium, ius diuinum, naturalis ratio suffragatur, permittitur quidem Principi tollere non in uniuersum, nec promiscuè, sed ubi in negocio quopiam tale quid incidit, ut si legis lator id præuidisset, uerisimiliter excepisset, uel alia honesta ratione subuenisset, tunc non uiolatur lex, sed magis seruatur à non seruantibus, quàm si seruaretur, quia perinde res illa haberi debet, ac si nominatim & expressè lege excepta fuisset. Non enim potest legis lator humanas quascunque actiones & quæcunque eas præcurrunt, comitantur, subsequuntur, lege completi: prouidet tamen, ut potest, genera earum attingendo, accidit tamen, ut quod in uniuerso genere probatur, id in specie quadam repudietur: Veluti depositam reddere pecuniam bonæ fidei congruit & iustissimum est, & moribus gentium receptissimum, & eius rei causa actio ciuilis constituta in eum, qui reddere recusat, sed quid si reus capitalis iudicii deponat penes me pecuniam: deinceps damnetur, & bona eius publicentur, num ei reddam repetenti, an in publicum deferam? & magis est, ut in publicum deferre debeam, nam qui de rep. malè est meritus, ut exemplo suo alios à maleficiis deterreat, egestate laborare debet. Similiter si latro uiatoris spolia ad me inscium detulerit, eaque deposuerit, nonne reddam potius, ubi resciero, Domino flagitanti, quàm latroni? nam & si bona fides hoc exigat, ut fidei commissam rem is recipiat, qui dedit: tamen si quod gestum est contemplemur, iustitiæ potius conuenit, ut domino sua reddantur, quàm latroni, qui ea sceleratissimè ademit. Hæc & his similia faciunt, ut legi liceat derogare, quando si lex seruaretur, id sententiæ legis repugnaret, & æquitas suadet, ut tunc aliter, quàm lege dispositum sit, statuatur. Multa enim arbitrio magistratuū reseruat legis lator, in quibus uult posse à legis scripto discedi, ubi scilicet ea occurrit species, quæ æquitate sua legis sanctione sit potentior. Quum Philippus Macedonum Rex ingenti prælio Athenienses & socios in Chæronea profligasset, libertasque non solùm Atheniensium, sed totius ferè Græciæ in summum adducta esset discrimen, suasit Hyperides unus rhetorum populo, ut decretum faceret, quo & incolæ ciuitate & serui libertate donarentur, suasit insuper, ut urbem munirent, sacra & coniuges cum liberis in pirræa deportarent. Decreto facto adductus in iudicium, & accusatus, quòd uno decreto in eius sententiam lato multas leges sustulisset. Respondisse fertur. Tantum tenebrarum inuexerant tunc Macedonum arma, ut leges inspicere non potuerim. Non ego scripsi decretum illud, sed pugna ea, quam in Chæronea pugnauimus. Sic uir sapiens censuit à legibus discedendum, ubi eas seruari perniciosum esset. Multa uno tempore sunt honesta & utilia, quæ alio commutatis rebus, nec honesta sunt nec utilia. Ista sunt Alberte (ne Iurisconsultos posthac lacessas) in quæ potestas datur Principi, ut leges temperet uniuersas, prout populi commodum, subiectorum utilitas, & causarum merita requirunt. Debet populus obtemperare legibus,

bus, leges populi seruire commodis. Non possunt una linea circunscribi omnia, nec una incommutabilis esse regula in magna ac propè infinita rerum, temporum, locorum, personarum uarietate: satis est legum latori, si leges tulerit, quàm plurima complectentes, & quantùm fieri potest optimas: minutatim autem & sigillatim insistere, & si cupiat, non potest, quia id supra hominis est uires, ideò à legibus suis aliquid excipi facile patitur: tolli etiam & abrogari non renuit: Intelligit enim se & mortalem, & mortales leges tulisse, ut quas non semper fixas inconcussasque manere oporteat, sed sæpius ad uarios & inconstantes rerum motus expediat commutari. Istud est, quod dicitur Principem supra leges esse, non quia pro libidine sua euertere eas debeat & commutare, sed ita si è re populi esse censuerit, eadem quoque potestas plerunque competit iudicibus, nam hi quoque possunt interpretatione leges mollire, ubicunque æquitate suadente id fieri debere cognouerint. Et hoc quidem tempore iudicij si fecerint, tatum est: nam rem iam iudicatam rescindere non permittitur, etiam si tale quid emerserit, quod antea ignorarint, & quod si in iudicio patefactum fuisset, aliter iudicassent, solus tunc Princeps re perspecta sententiam Iudicum retractabit, & aliam proferet iustiorem, sed ut de Iudicum potestate in legum interpretatione dicere omittam, & ad Principes reuertar. Dispensatio legum credita est Principibus non dissipatio: tunc enim dispensat Princeps, quum ius suum unicuique distribuit, quod iustitiæ est proprium. Sin autē dispensare est, ut quidam interpretantur, gratiam petentibus facere eius, quod lege fieri iubetur, aut uetatur, magnam certè hæc dispensatio desiderat cautionem, ne sit temeraria, sed rationem habeat ualidam, probabilem, necessariam. BAP. Istud est Marce, quod nostri dicunt posse Principem aduersus ius naturale & gentium ex causa statuere, & ius alteri auferre. Illud enim uerbum ex causa temperat Principis potestatem. Nolunt Principes ulla lege teneri, etiam ne si ex usu reip. inducta sit? etiam ne si naturalis ratio ei cooperatur? Tu mihi legem tollis publicis aptam commodis, nec cogitas, quàm sit rationi contrarium non seruare legem eum qui tulit, uel qui seruandam omnibus proponit; non satis est Principi iubere uerbis legū custodiam, nisi eam quoque suo firmet exemplo. Facta enim etsi plerunque tempore posteriora sunt uerbis, uim tamen semper obtinent in hortationibus priorem, nec dico aliquando legem non esse soluendam, sed causa requiritur, & uehemens quidem causa, & grauis, & potens, ut à te Marce quoque positum est, & ueteres ante Iurisconsulti posuerunt, occasionem autem pro causa rapi moleste ferendum est: non enim si non obstatur, propterea etiam permittitur. Legi derogant rescripto. Cur? an quia potestatem habent abrogandi, id sumunt pro causa? At non solùm potestas illis data, sed etiam fides, ut bonis uiris habita. Nemo conqueritur tantam illorum esse potestatem, sed talem fuisse uoluntatum. Detur disputandi locus. Quæram cur non id facere potuerint, sed cur facere uoluerint, cur denique fecerint? Quid? hanc legem, cui derogatur, qualem esse uolunt? bonam ne an malam? Si mala est, danda opera est, ut ea sublata melior alia scribatur. Sin bona, seruent & custodiri iubeant. An ideo in uniuersum lex scribitur,

bitur,

bitur omnibus, ut quod scriptum est, deinceps sigillatim pretio, uel prece delere possit, & id existimant regium uendere ius publicum quibuslibet, uel condonare? Nesciunt isti Principes, nesciunt, quanta uis sit iustitiæ, quantaue pulchritudo. Quod si scirent, non tam temere contras leges æquissimè scriptas rescriberent in aliornm gratiam, nec tam multa ipsi cum contemptu optimarum legum peccarent. Ignorantia igitur mater, ut in cæteris, ita & hac in re peccatorum omnium. Tollunt animos quia non est, qui ab illis exigat gestorum rationem. Aiunt nullam legem sibi imperare, nec falluntur, si de lege hac scripta loquuntur: non est enim imperium ullum scriptæ legis in Principem, sicut nec manus iniecto. At imperat tamen illis æqui bonique ratio, quam humanis mentibus impressit Deus, cui lex scripta innititur, quæ si nulla esset, nihil ferè inter hominem pecudemque interesset. ALB. Nolo uos molestè ferre, si inuectus sum apertè in quosdam Iurisc. qui hoc ordine indigni nimis assentantur Principibus, quos aiunt solutos penitus esse legibus, non distinguentes, quibus legibus: nam iis legibus, quæ ex fonte deductæ sunt naturæ, derogare minimè licere & à ueteribus dictum est, & ego antea satis perspiciebam, nisi forsitan huic Marco aliud uideatur. MAR. Qui possum aliter Alberte dicere? nemo hominum quacunque præditus potestate naturam commutauerit, nec ius eius imminuerit. Naturæ enim ius est, quod non opinio genuit, sed quædam innata uis inseruit, nam colere Deum, amare patriam, parentes, liberos, fratres, cum omnibus hominibus concordiam pacemque copulare, insidia ri nemini, uim ui repellere, honestè uiuere, & si qua sunt huiusmodi, nemo est, qui dubitet, quin a natura meliore idest Deo insita sint humanis mentibus. Itaque iustitiæ initium a natura deductum est. Deinde quædam in consuetudinem ex communi utilitatis ratione ab omnibus ferè gentibus recepta sunt. Postea res, & ab natura profectas, & à consuetudine ubique probatas legum scripto includi placuit, ut earum firmior redderetur custodia, quæ sanè omnia sunt supra principatum: nec ea Princeps auferre potest iure, nisi uel communis deposcat utilitas, uel idonea alia suffragetur ratio. Velut rem mihi quæsitam hæreditate, uel emptione, uel alio legitimo titulo non auferet Princeps, nisi iniustè facere uelit: auferet tamen iustè ubi delinquero criminis puniendi gratia, hæc potentior suadet ratio, ut iustè auferre possit. ALB. Non est in istis longus terendus sermo. Nam ea dem mihi quoque antea uidebantur, nec omnino horum ignarus eram, id que uos existimare uelim. BAP. Si eadem antea Alberte uidisti, idque nos existimare uis, petimus à te nos quoque, ut uicissim ipse existimes, nos ea dixisse, non, quod ea non intelligeres, sed ut memoriam eorum, quæ tibi iam effluxerant excitaremus. ALB. Quid? quoniam de puniendis criminibus illatus est sermo, hæc criminum remissio & indulgentia, quæ quotidie Principum rescriptis conceditur, num eam quoque licitè fieri dicemus? Ego uero non licere dicerem, nisi ex causa, ut tu modo in derogatione legum Baptista dicebas. Istud uerbum ex causa moderatur omnia, & ex eo uelut frænum iniectum Principum potestati, Si modo illud recipiant: nam plerique frænum momorderunt, ex inscitia scilicet, ut sæpe iam diximus.

BAP. At non in alia re peccant facilius Principes, quam in criminum remissione, capti falsa uirtutis similitudine, quasi ea sit clementia ignoscere in delicto, quum publici iuris id sit dissolutio & effusio. Clementem eum uoco, qui suis opibus subuenit misero, & aduersam alterius subleuat fortunam quantum potest, quem etiam misericordem licet uocare. Clementis etiam animi est, non irasci in iniuria: parcere inimicis, & debitorem pecuniæ, aut alicuius officii non urgere, sed expectare eius commodum. Sunt tamen nonnulli, qui clementiam pro moderatione quadam accipiunt. Hinc apud Comicum Clemens seruitus, & apud Cæsarem in commentariis Clementer ius dicere; & Cicero se clementem uocat in disputando. Eam moderationem si quis adhibeat in animaduersionibus, ne nimis dura aut aspera pœna in reos statuatur, clementiæ putant opus. Quod si Principes ita acciperent, non esse de hoc contendendum, uariis enim ex causis licet imminuere pœnas legibus statutas, sed facinus ipsum omne impunitum relinquere, haud scio an unquam liceat, nisi forsitan, aut summa personæ dignitas, aut præclara in remp. merita, aut perspecta uirtus, ingeniique sublimitas, aut quælibet alia magna potensque ratio id fieri patiatur: Omni nanque peccanti pœna diuino humanoque iure debetur. Quicunque peccat, statim se pœnæ obnoxium reddit. Quamobrem ubicunque Princeps crimen remittit, si id facit horrore pœnarum, animi est mollitia: si precibus amicorum, uitiosa uerecundia, si propter pecuniam, auaritia est, si aliquo alio præmio, intemperantia. Vix ulla inferri grauior reip. potest securis, quam hæc criminum remissio, nam incitamentum est non leue ad maleficia, ubi uident homines facultatem sibi concedi criminis redimendi, & legitimas pœnas effugiendi. Veteres autem iustitiæ tenacissimi fuere: de ea nunc parte iustitiæ loquimur, quæ in delictis ultio nominatur: quanquam etiam reliquas eius dem partes enixè coluerunt, nam & religionem erga Deos, pietatem in parentes, in rebus creditis fidem, in mutua beneuolentia amicitiam, & in uniuersum hominum genus caritatem seruabant, & si qua alia sunt huiusmodi, sed ut redeam ad animaduersionem in delictis, quid egit L. Brutus, qui primus Romæ consul, & libertatis auctor suis fuit ciuibus? nonne quum filios comperisset consilium iniuisse de reducendis regibus, eos securi percussit? Nihil apud eum patrius potuit affectus, quum se consulem esse uideret. Simili ratione T. Torquatus, quum tertio consulatu bellum cum Latinis gereret, filium, qui aduersus eius edictum singulari certamine cum hoste pugnauerat, capitali supplicio affecit, hic quoque maluit se & familiam legitimo successore, quàm iustitiam suo decore orbatam uidere. Illud quoque Zaleuchi memorabile. Scripserat is leges Locrensibus, & pœnam in adulteros statuerat utriusque oculi amissionem, oblato filio, & de crimine hoc conuicto, quum ciuitas in honorem patris pœnam hanc remitteret, suppliciaretque, ut adolescentulo filio parceret, ueniamque ætati tribueret, consensumque ciuitatis penes se ualere uellet. Tandem multis exoratus partiri se dixit pœnam cum filio, atque ita primò sibi unum, deinde alterum filio, oculum erui iussit. ALB. Fortius hoc factum Zaleuchi uidetur, quàm Bruti & Torquati. Illi enim non se, sed filios punierunt. Hic pœnæ partem in se

ſe recepit, & licet fortius fecerit, ut dixi, non tamen iuſtius. Nam pleniſſimè ſuperiores ſatisfecerunt legi, qui de filiis ſupplicium lege ſtatutum ſumpſerunt. Zaleuchus uerò partem tantum pœnæ in filium deriuauit, nam quod aliam partem ipſe innocens ſumpſerit, quomodo dici poteſt ſatisfactum legi, cuius non fuit conſilium punire innocentem? M A R. Mihi hoc Zaleuchi exemplum uidetur admirabile, quod patet ſubiecerit ſe pœnæ quadam ex parte pro filio, id tu quoque fateris, dum aſſeris Zaleuchum fortius feciſſe, quam Brutus fecerit & Torquatus. Sed illud quæritur, quomodo ſatisfactum ſit legi, quæ adulterum utriuſque oculi amiſſione feriebat, qua in te conſidera pro prudentia tua, ut ſoles, quod filius, qui deliquerat, et ſi minus iuſtè punitus ſit, pater tamen, qui non deliquerat, plus iuſto. Itaque ſi in unum pœna congeratur, reperietur illud pondus, quod lex requirebat, nec ſi à duobus corporibus fuerit per partes tolerata, detractum iuſto ponderi aliquid uideri debet, modo eo nomine fuerit illata, quo lege importabatur: quanquam etiam dici poſſit non duo extranea & maximè inter ſe diſiuncta pœnam illam ſuſtinuiſſe corpora, ſed domeſtica & coniuncta, ac penè eadem: nulla enim maior coniunctio, neque propior, quam patris & filii propter principium unius ad alterum, hinc filius in patre torqueri dicitur, & in filio pater. A L B. Si ueteres tam ſeueri exactores pœnarum fuerunt, cur poſteri non ſunt ſequuti, præſertim tali propoſito exemplo, & uiis iam ad illa impreſſis & patefactis? M A R. Corrupti mores in cauſa, quos poſtmodum luxus & auaritia:& nimia opum admiratio genuit. Si reſpicias ad prima tempora Lacedæmoniorum reip. Athenienſium, Romanorum, inuenies ſeueriſſimè coercita delicta, non ſi quis modo totam legem contempſiſſet, ſed ſi quis, uel minimam eius particulam uiolaſſet: Deinde hic mos paulatim diffluere cœpit, ita ut maximorum delictorum rei elaberentur, uel leues pœnæ imponerentur, quoniam, qui iudicabant, iiſdem tenebantur cupiditatibus, eadem ſectabantur, uera tunc iudicia de delictis fiunt, ubi in populis innocentia amatur, ſcelus odio habetur: nam qua ratione alia exiſtimas Alberte impunita hodie relinqui adulteria, niſi quia hæc à pluribus cõmittuntur: nec audent homines uendicare in altero, quod ipſi admittunt, & eius perpetuã optant ſibi fieri facultatem: Non enim dices id contingere, quia nequeant homines ab alienis ſe continere uxoribus. Si id dixeris, urgebo exemplis multorum populorũ, quibus per pluta ſecula ignota fuere adulteria. A L B. Difficile ego omnino arbitror, non impoſſibile. M A R. Difficile ſemper fuit ſe ipſum ſuperare. Itaq; plures repeti, qui hoſtẽ armis, quam qui cupiditates ſuas rationis ductu edomuerint, magnoq; in honore habiti, qui ab alienis mentem, oculos, manum continuerunt, nam ut omittam ſtupra & adulteria, ad quæ impelli uidentur homines, ſtimulis quibuſdam & aculeis ſenſuum & ſpecie naturalis cuiuſdam boni, quid dicemus de rapinis, quas Principes exercent? Nam de Principibus tantum fuit propoſitus ſermo, quid inquam dicemus? Onerant populis tributis, uectigalia inſtituunt noua, augent uetera, priuatim etiam multos falſis delatorum criminibus accuſatos expillant, conquiritur undique materia cogendæ pecuniæ. Fuerunt olim in Principibus, qui talia gererent, quos nobis hi-

L 2 ſtoriæ

ſtoriæ prodiderunt: ſunt nonnulli hodie forſitan tales. Vtrum ſcienter hæc eos facere, an inſcienter dicemus? Ego credo inſcienter, non quod ignorent quid ſit id quod geritur, ſed quale ſit: ignorant enim quantam ipſis facientibus id inferat illaturumq; ſit perniciem, quod ut bonum & utile ſuſcipiunt. Inſcienter etiam, quia non ſolùm fallit eos in apertis praua cupiditas, ſed in pleriſque quædam rerum obſcuritas: uitia enim tenui limite diſtant quandoque à uirtutibus, & quia finitima ſunt uirtutibus, uirtutes uideri uolunt, imitatur prudentiam malitia, fortitudinem audacia, uerecundiam timiditas, liberalitatem profuſio, frugalitatem auaritia, ſeueritatem crudelitas, magnitudinem animi ſuperbia, religionem ſuperſtitio. Hic quid aget Princeps rudis & indoctus? num poterit factum aliquod uel faciendum diiudicare, utrum in uitii, uel uirtutis partibus ſit ponendum? Si nomina tantum inſpiciet, cui dubium, quod hi, quos circum ſe habet, rem trahent ad meliora uocabula, laudabunt quicquid erit, audiet ſe in renacitare parcum, in ſuperbia magnanimum, in crudelitate ſeuerum, denique in rapacitate iuſtum uocari.

MARCI ANTONII
NATTAE ASTENSIS,
DE PRINCIPVM DOCTRINA
LIBER OCTAVVS.

ALBERTVS.

SISTE hic parumper Marce: nam hoc, quod poſtremo poſuiſti, me quandoque commouit, non quod fa ueam prauis Principum cupiditatibus, ſed dicendum eſt, quod illi prætexunt. Euolue tecum ueteres hiſtorias, nam recentiores libenter omittimus. Non inuenies unquam Principes rapinis intentos, ut non præ ſe ferrent egere multo auro atque argento, & plurimis demum opibus, ſi Imperium ſeruare uellent, uel augere. Non uidetur autem iniuſta hæc cupiditas, ſi Imperium electione populorum uel ſucceſſione uel ſorte delatum conentur retinere, & aduerſus hoſtem tueri, nullus grauior lapſus, quàm ſpoliari regno, hoc ne fiat, humanitas etiam poſtulat, ut hi, quibus imperat, iuuent non conſilio tantum, ſed re & opibus & tributorum collatione: nec exiſtimare debent rapinam, quod in tam pium neceſſariumq; uſum impenditur. Hoc officii genus, quũ non ſponte exhibeant populi. Exiguunt ipſi, & conantur ex plurimorum fortunis opem ſibi præſidiumq; afferre. MAR. Omni hoc ſermone Alberte id egimus, ut oſtenderemus inſcitiam cauſam eſſe omnium, quæ Principes peccant in Imperii adminiſtratione: id ſi unquam ulla in re, in hac præcipuè, quàm commouiſti de Principum rapinis, elucere poteſt. Nam quid

cauſa

causæ esse dicemus, cur nonnulli Principes, quum populos affligerent exactionibus, priuatas etiam domos falsis criminibus exhaurirent, nihil ferè cuiquam relinquerent, tamen egerent perinde ac si nihil rapuissent, alii uerò, quum abstinerent alieno, plura etiam largirentur, abundarent, sufficerentq; imperii opes ad exercitus alendos & expeditiones obeundas? unde hoc obsecro, quod rapientibus deerant omnia: abstinentibus supererant? Et ut te ad ueteres reuocem historias, ad quas prouocas. Nero & Domitianus, qui improbitate & nequitia inter Romanos Principes famosi sunt, hi diripiendis domibus, ciuitatibus, prouinciis intenti semper fuerunt, quid ita? quia maximarum rerum cupiditates habebant, quas explere non poterant, nisi orbe compilato. Memento Neronis auream domum. Isthmi effossionem, aquarum deductiones per multa terrarum spatia, spectacula, ludos, uenationes, naumachias, missilia rerum omnium in populum iacta, ingentem pecuniæ uim in histriones, aurigas, citharistas collatam. Tiridatem Armeniæ regem infinito apparatu sumptuq; exceptum. Adde profusionem domesticam, aleæ ludum, conuiuia, comessationes, scortationes, unguenta, gemmas. Adde nauigationes, itinera, peregrinationes, magno uirorum mulierumq; comitatu, magno iumentorum uehiculorumq; numero sequente. His tam immanibus sumptibus exhaustus, ac penè perditus, ita ut stipendia militum & commoda ueteranorum protrahi ac differri necesse esset, rapinis animum adiecit, nulli parcens hominum nec Deorum: nam donariis quoque suis templa spoliauit, simulacraq; ex auro uel argento fabricata conflauit: eadem in Domitiano reperies, nam hic quoque in substructionibus ædificiorum, & in muneribus & spectaculis immensas erogauit opes, præter quotidianos sumptus, quos in uxorem, concubinas & familiam largissimos sustinebat. Hi non in uirtute principatum ponebant, sed in immensis impendiis, nam se Principes esse & uideri existimabant, si ea aggrederentur & molirentur, quæ uix humanis uiribus expleri possent, effundere quæsitas opes, & quærere effusas studebant, atque ita his alternantibus uitiis, nec effusionibus, nec rapinis erat modus. Non sic Traianus, ut optimum Imperatorem pessimis opponam. Ille uero, quum & collationes remisisset, congiarium plebi, donatiuum militibus oblatum reddidisse, delatores abegisset, uectigalia temperasse, tantos imperii redditus putauit, ut ad illa præstanda, & ad reliqua onera subeunda sufficere possent: nihil enim in uanas & superfluas cupiditates insumebat, ut deinceps uacuus & egens priuatos ad se census traheret, sed domi erat parcus, & continens: foris & in publico splendidus, sed non luxuriosus. Nemo minus fisco studuit, nam fiscum Lieni similem dicebat, quo pinguescente reliqua membra tabescerent: non ex immensis opibus spectari se, sed ex animi uirtute cupiebat, maiestatem suam augustiorem uideri credidit, si eam homines ex ingenii morumque præstantia extimarent, modicam uerò, si ad opes sola spectarent. Similia dici possunt de Pio & Marco Antoninis Imperatoribus, quos constat à priuatorum pecuniis abstinuisse, & grauia tamē bella gessisse & cōpressisse, & pecuniam ciuitatibus ad operum nouorum constructionē, uel ueterum restitutionem misisse, & frumentum populo Romano in sum-

ma

ma annonæ penuria ſuppeditauiſſe, & alia multa his conſimilia exercuiſſe. Magnas uires habet frugalitas uel magnum eſt potius ipſa uectigal, efficit hæc, ut non reſpiciat aliena, qui in ſuis ſit diues. Hoc ignorant iſti Principes, qui priuatorum opes diripiunt, uim omnem imperii in externis collocantes opibus, ſcelere etiam quæſitis: ne illud quidem animaduertunt, quòd turpiter quæſita in turpes quoque & inutiles abeunt uſus, quod exemplo paret Neronis & Domitiani, & aliorum multorum, qui iiſdem ueſtigiis inſtiterunt, idque prædicatum quoque diui Thomæ ore, qui in libellis de regimine Principum aſſerit nutu fieri diuino, ut pecuniæ à populis extortæ in ſuperuacuos & inutiles & nihil profuturos uſus recedant. Idem quoque ſenſit comædia. Nam illic quoque legitur. Malè partum malè diſperit, & ſanè conſequens eſt, ut qua inſania rapiuntur aliena, eadem etiam effundantur. Vis uanitatem malorum uidere Principum in re forſitan exigua, ſed ex qua ad maiora coniecturam ducere licet? Aſpice Neronem & Heliogabalum, qui nunquam bis eaſdem ueſtes, nunquam iterum coſdem annulos geſtaſſe dicuntur. Aſpice A. Vitellium, qui à fratre adhibitus fuit ad cœnam, in qua duo millia lectiſſimorum piſcium, ſeptem auium appoſita fuere: quàm ut ipſe ſuperaret, ingentem dedicauit patinam, in qua (ut Tranquillus eſt auctuor) Scarorum iocinera, Phaſianorum ac Pauonum cerebella, linguas Phœnicopterum: Murenarum lactes, à Carpathio uſque Hiſpaniæque freto per nauarchos petita commiſcuit. quanquam ne illud quidem conuiuium Veri Imperatoris negligendum eſt, quod duodecim conuiuis Romæ parauit: Dedit nanque ſingulis formoſos pueros & elegantes ſtructores, quorum miniſterio in cœna uſi fuerant. Dedit quoque uaſa aurea, argentea, myrrhina, criſtallina, gemmis etiam circumlita, ſimiliterque pocula, quũ ad ſingulas dapes ac potiones nouis ſemper miniſtraretur: quot prætereà ciborum genera ex animalibus appoſita, tot uiuentia donata: quin etiam coronæ datæ cum aureis lemniſcis, & alieni temporis floribus: Vaſa etiam aurea cum unguentis. Poſtremo abeuntibus è triclinio, uehicula præbita cum mulis & mulionibus. Omne dicitur conuiuium ſexageſies centenis millibus ſeſtertium æſtimatum. Hanc tantam profuſionem populus Romanus admiratus eſt. Sed antea conuiuia patia imò longè prodigioſiora Antiochus filius Demetrii Macedonum Regis, & alter Antiochus Syriæ Rex populis perhibuerant, ut ex Athenæi ſcriptis colligere licet. Illud inuiſebatur illic egregium, quod quemlibet conuiuarum oportebat inſidentem Camelo potare: quo peracto Camelo unà cum ſtragulis, & pueto, qui Camelum curabat, donabatur. In hos & ſimiles apparatus impendunt Principes diuitiis abutentes, & animo ſuo neutiquam honeſtè obſequentes. Illa uero cauſatio, qua uti ſolete ais Principes ſe pro tutela & cuſtodia imperii cogere pecunias falſa eſt, nec uerò innititur, quoniam quæ iniuſtè rapuerunt, in libidines ſuas effundunt, tum etiam non licet hac occaſione in priuatorum irruere cenſus, eoſq; fictis criminibus & alio malo more ad ſe ducere: Sin autem bellum graue imminet, aut alia quælibet publica urgeat neceſſitas, tunc ærario deficiente licitum eſt imperare pecuniam & ad tributa populum uocare, ita ut omnes pro facultatum modo in collatione concurrant, nec unus plus

plus alio grauetur, sed ab imis usque ad summos sarcina decurrat, non ego iustas infector exactiones, sed iniquas duntaxat, & illicitas, & nullo more nulla lege factas. Isti ergo Principes talia causantes non effugiunt infamiam tyrannidis, & conquestiones populorum. Nemo est in populo uir prudens & integer, qui istorum sic prædandi um agnoscat causam, ut iustam & legitimam. Sed sunt alii, qui se lepidè prædari per alios putant, ita ut ipsi nullam subeant infamiæ notam, sed iustè se gessisse uideantur. A L B. Quomodo ais? aut qui fieri id potest? M A R. Multi sunt in ciuitatibus, qui rapinas committere non uerentur. An non sunt? A L B. Plures quidem, quàm uellem. M A R. Ergo Principes his, quos norunt rapacissimos, occasiones præbent rapiendi. Nam istis mandant magistratus & procurationes, ut deinceps repletos pecuniis ipsi aggrediantur, & ab eis tanquam à spongiis bene madefactis omnem exprimant humorem, simulant se molestè ferre, quod populos spoliauerint, atque ita accusatores in eos & Iudices comparant, & damnatione sequuta prædam omnem à raptoribus extorquent. A L B. An non id iustè? M A R. Iustè quidem, si extrema responderent: non enim spoliatis reddunt spolia, sed ipsi inuadunt. Quapropter non iustina est illa, sed iustitiæ uanum & inane simulacrum, ut ipse iam perspicis, & ego antea dicebam: quanquam ipsi huc aspirent, ut iustitiam uideri uelint, sed bis peccant, primùm quod iniquis hominibus magistratus committunt, & ueluti prædones immittunt in populos. Deinde quod prædam à prædonibus ereptam, quæ restituenda erat Dominis, auertunt ipsi, & in fiscum suum ingerunt, nec mouet eos populorum luctus, fortunarumque alienatum strepitus. Hæc omnia mi Alberte inscitia contingunt, ut sæpissimè dictum est, quam si auersamur in priuatis, commoueri debemus, ubi eam in Principibus, qui capita sunt rerum, uidemus: nam erratum unius Principis totam labefactat temp. non priuatorum etiam multorum delicta; accidit q; hac in re, ut in nauigatione: nam unius aut alterius remigis delictum non impedit admodum fœlicem nauigationem, sed si gubernator, cui summa totius nauigationis commissa est, delinquat, quia non rectum cursum aut clauum teneat, necesse est illius delicti nauigantes omnes fieri participes, nec singularis, sed communis incumbit calamitas. A L B. De inscitia Principum nobis hodie magnus fuit sermo: nec dum tamen Marce quæ siuimus, quod forsitan in primis quærendum fuit, eadem ne inscitia administrent malè omnes imperium; an uaria sit in singulis & diuersa. M A R. Eadem Alberte in omnibus si id scire expetis, sed refert quanta in unoquoque sit: nam in uno potest esse minor, maior in alio. Sunt enim in inscitia gradus. Vt enim in rebus turpi turpius, tenebroso tenebrosius, infimo infimius, sic in hominibus inscito inscitior, imprudente imprudentior alius alio inueniri potest. Non enim possum Domitianum Tiberio æquare inscitia regendi. Nam Tiberius, etsi peccauit in remp. sæpius, idem tamen meruit de rep. plurimum. In Domitiano plurima peccata, exigua merita cernuntur. Itaque inscientius Domitianus Tiberio imperauit. Nemo autem tam malus fuit Princeps quin boni aliquid gesserit, sed id in quibusdam raro, in aliis densius elucet, in his autem, quæ rectè geruntur & ordine, regnat

gnat sapientia, in aliis inscitia dominatur, eadem inscitia est omnium, sed minor in eo, qui minus, maior, qui magis peccat. Maiorem etiam inscitiam eius esse dixerim, qui cupiditatibus suis indulgens peccat, & hoc ipsum peccare delectat. Alter uero, qui dum facinus tractat, secum ipse pugnat, & inuitus quodammodo & obliquus aufertur à suis cupiditatibus, & cum facinus peregerit, conscientiæ stimulis urgetur, hunc minore ignoratione peccare dixerim, quam illum superiorem, qui nihil in facinore dolet, & sensum quodammodo abiecit peccatorum. Magna & densa ignorationis nox eum, qui talis est, premit, nec facile sanari potest: perditi est & penitus corrupti nihil in delicto commoueri, nullam habere reuerentiam honestati; quanto corruptior ille, qui sua etiam gaudet improbitate. At quicunque saluam habet pudoris partem, concertat intra se, huc uocat ratio, alio cupiditas trahit, & ut uincat tandem rationem cupiditas, attamen pugnauit, attamen lucem quandam honestatis prospexit, attamen non toto pectore inhæret facinori; quis dubitauerit minore ignoratione teneri, quam si nihil curaret, aut etiam de delicto gauderet. Vtriusque exemplum sumere possumus de summo Poeta nostro. Nam dum Etruscorum Regem Mezentium inducit contemptorem Deorum, & uiuis mortua iungentem corpora, & infandas cædes, & effera alia committentem, nonne uidetur hunc in eorum parte collocare, quos nihil peccare pudet, uel peccatum potius delectat? At Didonem Carthagine regnantem idem Poeta facit certantem & amori repugnantem. Hinc illa dicuntur.

Sed mihi uel tellus. Et reliqua.

Notum est uobis carmen totum. Mouet mulierem una ex parte Aeneæ uirtus, species corporis præclara, magnum Troianæ gentis nomen, spes sobolis procreandæ, ex altera memoria prioris coniugii, secundarum nuptiarum pudor, fama pudicitiæ neglectæ, netus procorum repulsa. Inter hæc prælia ubi plenior ad eius aures Annæ sororis accessit cohortatio inflammantis mulierem, qua magis illa rapiebatur. Tum planè uicta, est, & abiecta omni cunctatione totam se se amori tradidit, nam ipsam repugnasse, illud quoque indicat, quod posterius à sorore est dictum.

Placito ne etiam pugnabis amori?

Postquam autem ipsa & Aeneas conuenissent, adhuc uidetur intelligere, quid in se admiscerit, ideò:

Coniugium uocat, hoc prætexit nomine culpam.

Hi, qui secum pugnant & repugnant, sursum deorsumq; feruntur, demum cupiditatibus suis succumbunt, uitio quidem tenentur, sed (ut est quorundam Philosophorum sermo) uitio imminuto. Nullus autem has animorum inter se conflictationes peritius expressit Peligno Poeta in transmutationum libris: quæ enim illa est concertatio intra se Medeæ? quàm uariæ colloquutiones? quot fluctus æstusq; mentis ostendit? quanta affert pro recto? ut rursus cupiditas emergit? Eadem facit Scylla, Nisi, Mirrha, Biblis, quarum nulla legitimo amore arsit, sed sua cuique libido pro lege fuit: nam prima hostem, altera patrem, tertia fratrem, undè minimè decebat, amauit. Harum mirè affectus animorum exprimuntur à Poeta, ex utraque parte pugnantium

gnantium, & modo hoc modo illud probantium. Vincuntur hæ omnes à cupiditatibus suis, sed minore omnino scelere, quàm si nihil se peccare sentirent. Lõga etiam illa pugna in Althea Calidoniæ Regis matrona fuit, dum disputat intra domus secum penetralia, utrum Meleagrum filium fortissimum uirum ob necem auunculis illatam perdat in exustione torris, an incolumem esse patiatur. Vicit hac in muliere deterior pars, sed non sine pugna, ut dixi. At Pentheus Thelarum Rex, Niobe Amphionis Regis uxor audacter peccant in Deos, quorum cultum negligebant, hos in genere illo, quo peccarunt, plenè peccasse dicemus: ita enim peccatunt auidè, ut ipso peccato delectatos, & in eo sibi ipsis placuisse credi possit. Fabulas loqui uideor, sed cur non fictis utar potius quàm ueris? quum fabulosa facilius audiantur, & magis noscantur, & nihilo deterius auditores instruantur. ALB. Tu uerò in istis, ut uidetur, nam etiam fabulosa erudire possunt, & sæpius his ad commouendos animos usi sunt grauissimi auctores. Illud tamen me Marce commouet, quod malos ita quandoque peccare dicis, ut eos etiam peccare delectet. Vnde nam id esse credamus? MAR. Facilè id quidem nosse Alberte, nam quodcunque mali magna ui summoque animi appetunt ardore, ubi id consequuti sunt, gaudent, tanquam sitim cupiditatis suæ restinxerint, & ex motu ad terminum peruenerint. Sed ex his, qui ex habitu peccant uitioso, illud procreat uoluptatem, quod consuetudine sua utuntur, quæ est illis uelut altera natura. Naturale igitur quodammodo his est peccare, quodcunque autem cuique secundum naturam contingit, placet, fitq; lætum atque iucundum. Inueniuntur tamen nonnulli, qui post delictum pœnitentia ducuntur. Nosti enim illud:

Pœnitet O si quid miserorum creditur ulli,
Pœnitet, & facto torqueor ipse meo.

Et illud adolescentis ex Plauto.

Ego animo cupido atque oculis indomitis fui.
Persuasum est facere, quoius me nunc facti pudet.

Hi, qui talia memorare possunt, ostendunt non undique rationem in illis extinctam & obtenebratam fuisse, sed adhuc lumen aliquod superesse. Sed rarum id hominum genus. Maior pars non de peccato dolet, sed de pœnis & aliis incommodis, quæ peccatum ipsum sæpissimè secum adducit. Sumus plerique similes mulieribus in adulterio deprehensis, quæ non adulterium patratum, sed præsentem lugent pœnam: displicet non peccasse, sed puniri. ALB. Accipio equidem hæc: sunt enim (ut dixisti) non admodum difficilia cognitu. Sed quid est quod Marce dixisti nullum esse tam malum Principem, quod non boni agat atque egent aliquid: ego à malo nihil boni prouenire crediderim, sicut nec ab obliqua regula architecti aliquid recti, nam hanc Regi comparauimus. Enimuero etsi opus extrinsecus rectum appareat, non tamen ab his geritur honestatis uel utilitatis publicæ studio, sed uel lucri sui, aut gloriæ, aut priuati alicuius commodi captandi grana. Dictum est à non malo Poeta.

Quid Nerone peius?
Quid thermis melius Neronianis?

M Putas

Putas ne Neronem ædificasse thermas publicas cogitantem plebis Romanæ commoda? non arbitror, sed ædificasse credo, ut beneuolentiam populi, cui inuisus erat, hoc ueluti munere redimeret, uel forsitan ratus ad perpetuitatem sui nominis in omnem posteriratem id munus pertinere. Honestatis uero causa quomodo faceret, quam non nouerat? M A R. Aedificationem tamen illam thermarum bonam fateris. A L B. Bonam fateor, sed non bene factam, quia non respexit ille ad id, propter quod ædificationem talem fieri decebat. Puniunt iniqui Principes sui similes & dissimiles, idest bonos pariter uiros & malos: abominabile est, quod puniunt bonos, gratum quod malos, sed nec dum malos puniunt, id fit bene, quia non fit id ab eis iustitiæ meditatione, sed ut uel fisci opes augeant, uel quia etiam malos metuunt, à quibus sibi cauendum existimant, uel qualibet alia de causa potius, quàm quod iustitiæ ratio id exigat. Mitto quàm absurdum sit castigatores esse alienorum uitiorum, qui castigari ob sua merentur, inquirere in cæteros, qui maximis ipsi delictis scatent. M A R. Quid de Phalaride dicis Agrigentinorum Tyranno? An non is bene, quum Perillum suo boue inclusum perdidit, quem ad aliorum necem pro munere Tyranno obtulerat. Hic in alios inique n[illegible]a, in hunc iustè egisse dicitur, quod coegerit eū inscendere bouem, quem fabricauerat, ut primus experiretur, quod in alios excogitasset. A L B. Ne Tyrannum hunc quidem bene fecisse existimauerim, nam ultus est se ipsum, quod crudelitatem à Perillo illo munere exprobrari sibi sentiebat, eandemq; in hunc, ueluti remittens iaculum fortius, contorsit, quod si iustitiæ eum cura tetigisset, nunquam tam acerbè in hominem progressus fuisset. An non satis erat Perillum, qui eo animo ad ipsum accesserat, ut pro munere aliquid ab eo gratiæ uel pecuniæ referret, cotripere uerbis grauioribus, & hominem cum suo dono reiicere, & eo facto ostendere se non esse eum quem putabat. M A R. Multis hoc satis non uidetur, nisi crudelitatem in crudelitatis auctorem conuertisset, quod fecit, siue ut obsequeretur iustitiæ, ut ego dico, siue naturæ suæ immani & crudeli, ut tu uis. A L B. At istnc refert, quo animo id fecerit, nam plurimi opus peragunt bonum, sed non bene. M A R. Ex Augustino hoc habes bonum opus non bene fieri à malis: Ille enim contra Iulianum disputans officia distinguit à finibus, nam officium ponit in faciendo, finem in eo propter quid sit faciendum: existimat autem non posse officia à finibus separari. Veluti manum abstinere ab alieno, si officium cogites, uidetur esse iustitiæ, sed quum quæritur quare fiat, & respondetur, quia timet legum pœnam, Iudices, litium dispendia, hoc uidetur officio bonum, sed non est, quia non est bonum recto fine, propterea quòd non displicet ei furari, sed puniri, uexari, & lites sectari. Hic iustitiæ amor nullus, sed trepidatio futuri mali. Similiter si quis subueniat homini innocenti, misero periclitanti, si laborem illum suscipit non iustitiæ intuitu, sed pecunia adductus, uel humana gloria commotus, non bene bonum facit, quia non bonus facit, quod non bona fit uoluntate. Hæc & talia disserit Augustinus & alibi sæpe, & in libris, quos modo memoraui, cuius dicta forsitan legisti, & placuerunt, nam illud, bonum non bene, est ab illo. A L B. An non ita rectè? M A R. Arbitror. Veruntamen.

tamen. ALB. Quid Veruntamen? MAR. Non ego Alberte Augustinum in medium protuli, ut tantum uirum oppugnarem: quo Christi Ecclesia neminem habuit in belligerando pugnaciorem, neque in docendo acutiorem. Vtinam tam eius scripta intelligere possim, quàm doctrinæ faueo. Non deerit tamen forsitan aliquis, qui audito Augustini sermone neget bonum esse, quod non bene fiat. Bonum nanque, quod in uirtute consistat, ita demum est bonum, si fiat, quod oportet, & quando oportet, & quemadmodum oportet, & quo fine oportet, si uno horum careat, sicut uirtutis, ita bonum quoque caret nomine: nec tamen ab istis discrepat Augustinus, si quod dicit, inspiciatur: nam quod faciendum est, si non bene fit, uocat bonum, non quia sit bonum, sed quia boni effigiem gerit, & non rectè intelligentibus bonum uideri possit: & uerba quidem Augustini, quæ superius retuli hoc satis indicant, quod idem in enchiridion euidentius expressit. Tunc enim (inquit) præcepta & consilia rectè fiunt, quum referuntur ad diligendū Deum, uel proximum propter Deum. Quod uerò timore pœnæ, uel aliqua intentione carnali fit, ut non referatur ad caritatem, nondum fit sicut fieri oportet, quamuis fieri uideatur. Inimicus enim iustitiæ est, qui pœnæ timore non peccat. Amicus uero iustitiæ, qui eius amore non peccat. Quamobrem mi Alberte si dixeris bonum esse apparens, quod non bene fit, quia fine suo careat, non autem uerum bonum, melius (ut mea fert opinio) senties & iudicabis. At non hoc est, quod dicere uolueram, dum suspendi sententiam. ALB. Quid ergo aliud? MAR. Fines uirtutum in animo consistere arbitror facientis. Si is rectus est, non potest opus, quod de genere sit bonorum, ex fine culpari. Difficile autem est, quod quisque facit, quo consilio, quo proposito, qua intentione, quo denique animo faciat, uidere: non enim intra animi penetralia conspectus datur. Diligenter igitur uidendum, ne ubi opus forinsecus rectum apparet, si id ex animo faciens culpare libeat, quasi praua animi cupiditate factum, ne id sit temerarium, & calumniosum: calumniator enim ubi rem ipsam improbare non potest, animum aggreditur, & non recto proposito factum criminatur. Dæmonis malū id opus, quem ea de causa Diabolum, idest calumniatorem uocamus. Is etenim quum aliquem uidet ex his, qui uel in monasterii claustris uel in solitudine positus asperrimam durissimamq; sequutus est uitam, non ueretur ipsum ante tribunal iustissimi Iudicis accusare, & quoniam uitam coarguere non potest, exagitat uitæ illius consilia: Ieiunauit hic, fleuit, orauit, corpus afflixit, omnia hæc, sed non ut tu Domine tantorum bonorum donator laudem ferres, sed ipse, non tibi iste studuit, sed sibi, conatus est acquirere opinionem sanctitatis captans humanam gloriam, & cunctorum ora in se cupiens conuertere: gratum etiam sibi fuit hac ratione uictum largiore populi absque manuum suarum labore comparare. Et hæc quidem iacula dirigit in monachos, accusans uitæ propositum, ubi uitam non potest. Similiter ubi uidet prædiuitem uirum larga manu in egenos utentem, huic præsto est post uitæ exitum ad Christi tribunal, & arguit incubuisse in illam largitionem, uel inani ambitione, uel quia sperabat de illa misericordia se à Deo pleniores opes relaturum, & quæ iam habebat pet eum firmius reten-

turum. Nihil iste Christe fecit tui causa, sed omnia sui. A L B. Tu Marce, ita de his uerba facis, ac si diuinis illis iudicüs interfuisses, & quid fieret subnotasses. M A R. Nunquam equidem uidi illa Alberte, sed erudiunt me sacræ literæ, quæ hunc humani generis hostem, nostræ inuidentem fœlicitati Diabolum uocant: ex hoc satis colligitur illum sanctorum & fortium uirorum gesta calumniari, nam ni faciat, non hoc nomine ille notaretur, sed ne prorsus id fingere uidear, utar earundem sacrarum literarum testimonio. Memento quæso Alberte, quæ circa Iob gesta memorantur in libro sui nominis. Is etenim liber non modo apud nos, sed etiam hebræos in auctoritate habetur: cuius rei tu locupletissimus potes esse testis. A L B. Hebræi librum hunc in canone diuinarum scripturarum recipiunt, eumque magnifaciunt. M A R. Ergo adducamus, quæ illic leguntur in medium, postquam firmissima est libri huius auctoritas. A L B. Adducere potes. M A R. Illic ergo legitur, quòd quum dominus Satanæ dixisset, qui uniuersam lustrauetat terram. Num satis cōsiderasset seruum suum Iob, quòd non esset ei similis in terra? homo simplex & rectus & timēs Deum, & recedens à mala. Ille Num quid Iob gratis colit Deum? Nonne tu ualasti eum ac domum eius, uniuersamque substantiam circunquaque, operibus manuum eius benedixisti, & possessio eius creuit in terra. Huc tendit accusatio Satanæ, ut ostendat Iob mercede externorum bonorum colere Deum, nec Deum, sed Dei amare præmia, quasi ea quotidianis sacrificiis & precibus & reliquo cultu emenda essent. Et ita quidem Satanas sanctum uirum calumniabatur. At apud quem? non apud Iudicem mortalem, quem fallere posset, sed apud eum, qui omnia penetrat humanæ conscientiæ profunda, qui nouit dilucidius, quæ intus forisque tractantur, quam hi qui, tractant, imò qui ab æternitate sua præuidit antequam fiant: accusatur apud hunc uir rectus à nequissimo Satana. Nunc uide Dei, bonitatem ne dicam? an sapientiam? an utrunque? Ille ut Satanæ calumniam non uerbis, sed re confutaret, & ostenderet quem uirum. & quanris constantiæ nixum radicibus in falsum crimen uocaret, & famulo suo altioris meriti gradum instrueret, omnia Satanæ in uirum substantiamque eius permisit, modo ne animam tangeret, sed seruaret. Hoc dixi, ut intelligeres culpare actionem, quæ speciem habeat rectam, cuiuslibet esse, imò nō cuiuslibet, sed detractoris tantum & improbi calumniatoris. A L B. Tu exēpla mihi sanctissimorum & optimorum uirorum adducis, quos ego fateor non oportere facile in crimen uocari, quod malo consilio quicquam gesserint: habent enim pro se uitæ sanctimoniam, quæ impellit, ut credatur bonam actionem ab his, bono quoque consilio inductam. At ubi malus quicquam peragit ad honestatem pertinens, perpetui eius mores faciunt, ut nō honestatis studio, qui præclarus est finis, id actum uideatur. M A R. Cur malos uis Alberte honestum quicquam gerere malo potius consilio, quam bono? An quia suspicari magis debeamus delinquere aliquem, quam sano uti consilio? minimè, nam benignus hominis animus esse deber in alterum, & eum non modo facto, sed etiam opinione sua subleuare. Itaque nefas esse dixerim rapere alienam actionem in deteriorem partem, quum in bonam possit.

possit. An quia necesse sit malos, qui pluribus scateant uitiis, omnibus abũdare. Quis id dixerit? Non necesse est his, qui consueuerunt delinquere, uti assiduè habitu suo uitioso, sed ita demum utuntur si uelint: propterea quòd non undique animus eorum est corruptus, sed adhuc integrum manet illic aliquid & incolume. Fieri ergo potest, ut malo Principi in specie aliqua occurrat honestatis splendor, eamque sequatur Domitianus, quem improbissimè regnasse diximus, tulit de adulteriis legem sanè optimam, alia cauit lege, ne mares exciderentur, delatores aliquando coercuit, ambitiosas centumuirum sententias multas extra ordinem rescidit, Magistratibus urbanis prouinciarumque præsidibus corrigendis tantum curæ studiique adhibuit, ut non alio tempore iustiores & temperatiores extiterint: hæc & talia quædam recto consilio fecisse dixerim, nam sæpius etiam malus uitium, quod in se admisit, in altero odit, dicitque intra se. Mihi hoc licet, tibi non licet.

Stultitiam patiuntur opes, tibi paruula res est.

Illud etiam nonne superius attulimus ex Euripide?

Si uiolandum est ius, regnandi gratia

Violandum est, cæteris rebus pietatem colas.

Putas ne omnes, qui Tyrannicam obtinuerunt potestatem, superbè impiè que dominatos? hoc non ita est? Nam de Hierone & Gelone, qui Tyrannico tenuerunt imperio Siracusas, probè remp. administrasse traditum est. Periandrum uerò Corinthiorum fuisse Tyrannum accepimus, qui nisi iustè ciuibus suis imperasset, non inter septem Græciæ sapientes connumeratus fuisset. Occupauit Athenis Tyrannidem Pisistratus decepto populo. Multis hic floruit uirtutibus, quibus remp. Atheniensium auxit, nullum eius immanæ facinus, nullum crudele legimus. Eadem est causa Cæsaris Octauiani, qui quum ui & armis Romanam rempub. oppressisset, iustè tamen gessit principatum, de quo dictum fuit, aut nunquam nasci, aut nunquam mori debuisse. Multa gerunt improbi Principes, quæ recta sunt, non solùm effigie sua, sed etiam ueritate. Ideò ubi ubi apparet actio Principis recta, & si ipse in aliis iniquus sit, ex proposito facientis uituperari non conuenit, nisi propriis & tem ipsam tangentibus signis id arguamus. Sunt enim coniecturales (ut nosti) plures loci, qui, & in personis, & locis, & temporibus, & factis, & euentis, & rerum ipsarum negociorumque natura positi sunt. Ex his licebit quoquo animo quid gestum sit, deprehendere. Sin autem ex eo solo dicemus prauo gestum consilio, quod qui gesserit, improbus sit, refelletur hæc oratio, & dicetur, impios quædam piè egisse, iniustos iustè ignauos fortiter, superbos humaniter. Vides summnm illum & clarissimum Græciæ Oratorem Demosthenem, quibus argumentis & quam porenter & uerisimiliter coarguat Medam donasse triremem ciuitati non caritate reip. sed quod ex eo commoda utilitatemque capiebat. Non fuit contentus eo solùm, quod esset improbus Medas, quòd clarè constabat, sed alia adiunxit plura, quæ id indicarent, anceps sanè & arduus ad tractandum locus, attamen ita ab Oratore tractatus, ut penè ante oculos consilium dantis posuisse uideatur. Sed ut redeam unde hic defluxit sermo. Phalaridem credo ego iustitiæ intuitu commotum, Perillum, ut sceleris artificem, tauro, quem attu-

attulerat, inclusisse, & torruisse, quoniam constirit Tyrannicos etiam uiros quædam non inscite agere, ut in hoc apparet Phalaride, qui &si forsitan scriptis legibus non uteretur, illud tamen naturæ lege cautum uidebat, ut in quo quis deliquerit, in eo puniatur. Neminem enim tam malum fuisse Principem diximus, quin aliquando bene & congruenter & sapienter aliquid gesserit, ita ut nemo è doctrina melius agere potuisset: permagna enim uis est naturæ, quæ omnino extingui, deleri, obscurari in nobis non potest. Ex Tyrannis autem alium alio insipientius regnasse fatendum est, quemadmodum è bonis quoque Principibus alium alio sapientius. A L B. Postquam Marce ponimus nullum tam malum esse Principem, quin boni aliquid gerat, gesserit, num econuerso dicendum nullum esse tam bonum Principem, quin aliquando peccarit. Num id etiam dicere possumus? M A R. Possumus dicere, imò id audacter dicamus? Quis enim est hominum, qui cunctos impleat uirtutis numeros? immunem esse à peccato Deo conuenit non homini. Ille solus titulum huius eximiæ laudis fert, uel si quis est alius, cui singularis priuilegii dono concesserit. Sed quis est hic? ut postquam no uerimus, cantemus hominem, & hymnis præclaroque carmine honoremus. Vix unus & alter nominantur non exempli causa: res enim est extra omnem imitationem, sed ut agnoscamus quantum facer Dei spiritus possit in humanis pectoribus. A L B. Peccatores ergo omnes sumus, ut ista sonat loquutio, quicunque uescimur terræ frugibus, & aqua ignique fruimur. M A R. Vera narras, ut infantes demas & furiosos, nam his ereptus fuit rationis usus, illis nondum etiam accessit. A L B. Peccant igitur mali Principes & boni, sed unde hos distinguis? quia non sit uerisimile, quin plurimum differant. M A R. Manifesta quidem est differentia utrorunque. Nam mali peccant audacius, & grauius, & frequentius. Pauca autem & parua errata bonos tenent, quæ uix humana effugere potest imbecillitas, & quæ uenia dignatur diuina bonitas. A L B. Peccant igitur isti quoque ac illi, & si non æquè, nec pari pondere. M A R. Ita est. A L B. Cur igitur appellantur boni, si omnino non sunt immunes à peccatis? hoc enim quæri posse ui deo. M A R. Quærere potes arbitratu tuo, sed causa eminet, & iam dicta est. A L B. Quia scilicet operit multitudo benefactorum pauca illa & parua errata. M A R. Rem tenes. Solemus nanque homines ex maxima parte de toto iudicare. Itaque segetem lætam & uberem dicimus, etiam si alicubi auenam uiderimus, et quæstuosam mercaturam, etiam si in paruis quibusdam mercibus calamitas sit accepta: habemus in pretio maxima, minima negliguntur. Doctum uirum dicimus, qui multarum magnarumque artium doctrina sit instructus. Num si paruum aliquid in musicis uel numeris eum fefellerit, indoctum dicemus? Hac ratione ne Plato quidem & Aristoteles docti uocarentur, quoniam in quibusdam hallucinatos fuisse constat, nec bonus Poeta Homerus, qui quandoque dicitur dormitare. A L B. Si rectè, quod dicis perspicio, uis iustum posse dici Principem etiam si in minimis quibusdam deliquerit, id que mihi suadetur: quoniam in sacris literis, quarum supremum est auctoritatis fastigium, dicitur. Septies in die cadere iustum. Hoc me mouet, quod ne iusti quidem caret nomine, qui à casu non

modo

modo est tutus, sed frequenter etiam in die cadit, MAR. Quid te illud etiam non mouet, postquam rem ad sacras deflectis literas, tanquam ad maiores & sapientiores Iudices? quod hæ literæ, multos donant iusti nomine, Noe, Iob, Zachariam, Helisabeth, Ioseph, Simeonem, & tamen in eisdem penes Ioannem legitur. Si dixerimus, quia peccatum non habemus, nosmetipsos seducimus, & ueritas in nobis non est. An non Ioannes pariter iustus? quem Iesus dilexit, cui Virgini Virginem matrem moriens commendauit? ad is non de se solo, sed de cæteris quoque iustis pronunciat, omnes uere esse peccatores. Hinc Domini iussu quotidiana prece oramus Patrem cœlestem pro dimissione debitorum, quasi nemo sit, qui quotidie aliquid non debeat. ALB. Verùm tunc esse experior, quod dici solet. Lis litem generat, quæstio quæstionem adducit. An non id audisti Marce? MAR. Quid tum? ALB. Quia ex te libet quiddam quærere connexum superioribus sermonibus. Difficile est enim, ubi ad quædam disputatione per ueneris, non pari studio exequi cætera. MAR. Age dic, quid nam inuestigandum adhuc putas. ALB. Ponimus nonnullos iustè imperasse, ponimus certè, ueluti Romæ Numam, & reliquos post eum reges excepto Superbo: Lacedæmone Lycurgum, Cretæ, Minoem, & inter Romanos Cæsares Neruam, Traianum, Antoninum, nonnullos alios. Iam numerum iustorum Principum tenemus. Hic quærere libet. Vtrum alius alio iustus imperarit, uel num omnes pares in huius uirtutis munere; de scelestis manifestum est, alium alio scelestius imperasse, nunc de iustis quæritur. Nam pares esse illud ostendit, quod qui uere iustus est, tenet omnia, quæ per partes iustitiæ subiiciuntur: quid igitur tenenti omnia adiici possit, non uideo, quo possit alius dici iustior, uel ipse postmodum effici: non enim hic agimus de artibus & disciplinis, in quibus alium alio peritiorem inueniri fatendum est, sed de uirtutibus animi, quas qui possidet, non uidetur alius in eisdem uirtutibus posse antecedere: sicut de iustitia nunc dicebam: quam aut non perfectè tenet is, qui tenere putatur, aut si tenet, nemo poterit ipsum præire. Itaque si duorum iustorum fiet collatio, ambos æquè iustos dicemus, & hoc ita dici ratio mihi postulare uidetur. Rursus, ut flectam sententiam facit, quod à præstantissimo Poeta dictum est de Ripheo.

Iustissimus unus
Qui fuit in teucris & seruantissimus æqui.

Magna laus est in iusti nomine, hic tamen iustissimus fuisse dicitur, & æqui seruantissimus, quasi omnes alios in huius uirtutis laude infra se reliquerit. Hic ego finem dicendi facio, responsum tuum expecto. MAR. Video Alberte te magnum esse iustitiæ amatorem, ut qui de ea tam tenuiter disputes, & scire cupias, utrum iusto sit iustior, quasi si ascensus sit in iustitia, non contentus sis in primo cliuo uersari, sed uelis summum gradum tenere. Dico igitur & prædico iam tibi, eo; qui absolutè, & sine ulla exceptione sit iustus, non inueniri iustiorem alterum, quoniam necesse est, (ut à te quoque dictũ fuit) eum qui talis sit, omnes iustitiæ numeros tenere, & paratum esse animo ad omnia, quæ iustitiæ sunt, descendere, etiam si uirtutis huius retinendæ causa magnum difficileq; illi prælium fuerit ineundum, & sanguinem

quoque

quoque unà cum uita profundere oporteat. Omnium ergo iustorum par erit uoluntas, non tamen par erit opus, quoniam fieri potest, ut in iustitiæ operibus promptius aliquis uberius lætiusq; uersetur, seu, quia ita assueuerit iustis peragendis, seu, quia sors obtulerit, & ueluti campum prostrauerit, unde hæc eius uirtus latius innotescere, & excuti possit, seu quia etiam tam temperato sit corporis habitu, ut ad æquitatem animi possit esse promptior. His rationibus effici posse dico, ut alio alius iustior uideatur, Aristides Atheniensis uulgo cognomen iusti tulit, uerisimile est in populo Atheniensi fuisse aliquem, qui pari fuerit erga iustitiam animo ac uoluntate, qualem iisdem ferè temporibus Socratem philosophum fuisse dixerim. Potuit Aristides uideri iustior. Ipse enim accesserat ad reip. administrationem, & suggerebat ei resp. assiduè facultatem, unde eius iustitia latè perspici cognoscíq; posset. Socrates autem iustitia, quæ in priuatis uersabatur, erat obscurior. Ponimus Numam & Neruam iustè regnasse. Horum duorum Numam dixerim iustiorem Nerua, quia quum Numa plurimos regnasset annos, plura edidit iustitiæ opera. Nerua, qui paruo tempore tenuit imperium, pauciora: similiter iustiorem dixerim eum, qui promptè exequitur iustitiæ munia, eo qui ægrè & uix id facit: iustiorem eum, cuius in arduis eminent iustitia ob contentiones & discrimina, quæ magno animo illius causa sustinuit, quàm alterum, qui in paruulis tantum negociis ea utitur. Denique ex actionum uarietate iustitiam unius maiorem esse dixerim, & minorem alterius: quanto enim maior actio tanto iustitia excelsior uideri debet.

MARCI ANTONII NATTAE ASTENSIS,

DE PRINCIPVM DOCTRINA LIBER NONVS.

ALBERTVS.

SATIS de his habeo. Illud proponere tibi nunc iuuat. Si iniquus Princeps isti regioni præsideret, quid ageres? quo consilia tua referres? Maximæ Deo habendæ gratiæ, quòd bonos nacti sumus Principes, iustitiæ tenacissimos, quæ tua sit sub istis uita & conditio, teneo. Illud iuuat exquirere, quid sub iniquo Principe ageres, molirere, quæ tua esset cogitatio.

MAR. Ferrem illius mores, ut cæteri, nam scio, quòd me ille nunquam ad honores proueheret, nec consiliario uteretur, nec administro. Deligunt mali Principes in amicitiam, & ad ministeria, quos seruitutis patientissimos arbitrantur, & quos non deceret esse nisi seruos, quos denique existimant fauere illorum cupiditatibus, efficere imperata, in

horum finnm congerunt omnia, hos amplectuntur, & præcipuos habent, bonos autem uiros sub borum principatu uideas situ & ocio marcescere, & in renebris quodammodo degere, nisi ubi periculis & delationibus sub lucem & in diem pertrahuntur, & calamitate accepta in notitiam omnium per ducuntur. ALB. Fieri tamen potest, ut inter istos bonus aliquis uir uel casu uel errore deligatur, eum te esse facio. MAR. Meliora ominare quæso. ALB. Si id tu auersaris, suppone alium quendam pro te ueluti Lucium aut Ticium, ut uos in uestris soletis formulis, uirum probatis & egregiis moribus, quem malus uelit Princeps omnino sibi operam dare, & principalibus interesse negociis. MAR. Heu quantum mali huic uiro nuntias, de hoc dictum est antea. ALB. Properanter forsitan dictum, plenius aliquid si dixeris, gratum erit. MAR. Quid in re clara & manifesta necesse est tempus terere? Etenim si unus è pluribus quisquis ille fuerit, repugnet & eat obuiam uel monendo uel consulendo malæ Principum cupiditati, præterquam, quod nihil proficiet, ut Principi maleuolus notatur, & inuisus est toti curiæ. Si depellens calumniam, uadit contra fiscum, importunus esse, & nimius, & calumniari ipse perhibetur, nam sub Principe malo fisci causam semper bonam esse oportet, quid ita? quia stultitia quadam fiscum sibi putat esse datum non reip. causa, sed saginæ, ideo quicquid fiscus non diripit, id sibi ademptam arbitratur. Postquam iterum relatus bic est sermo de adulatorum uocibus contra egregium consultorem, decreui de boc paulo amplius loqui, ut tu postulas, initio hinc ducto. Medicus non ægroto modo, sed ne sano quidem homini permittit omnes cibos, sed salubres duntaxat, ordinemq; & tempus cibi sumendi præscribit, nec saturum uult à mensa discedere, quo facilius concoquat, atque ita hominem in optimo ualetudinis statu conseruat, differt autem à Medico longe coquus: hic enim qui salubres corpori insalubresue cibi sint, non didicit, nec discere curat, sed quæ iucundissima putat esse palato & suauissima, hæc persequitur & tradit, repletq; hominum corpora dulcedine obsoniorum, & ex ea sagina in podagram, calculos, aliosq; fœdissimos morbos iniicit, hæc quum ita se habeant, non obscurum est, quis horum duorum alteri sit præferendus. Si qui autem sint, qui coquo magis oblectentur, quàm medico, illiusq; artificium magis, quàm huius probent, nemo tamen illorum tam emotæ est mentis, ut odio insequatur medicum, extinctumq; cupiat, propterea quòd suaserit pro salute corporis à nonnullis abstinere & temperare. At cum medico animorum agitur durius. ALB. Quomodo id ais? MAR. Dicam si potero. Legisti sæpius Plautum, eiusq; fabularum elegantia & sermonis nitor te tenuit. ALB. Ita est. Nam nullo Poeta sum magis delectatus. MAR. Quid igitur ait ille seruulus in Aulularia? Nonne censet officium serui boni esse, ubi herum ab amore uidet superatum.

Retinere ad salutem, nec quo ille incumbit, eo impellere,

ALB. Censet profecto. MAR. Hoc dum facit, nonne eum hero medicinam præstare opinaris, dum retinet ad salutem, nec rectum putat, quo incumbat, eo impellere? ALB. Sic est. MAR. Quid uerum amicum & bonum consiliarium? num aliud facere suades? An non simili ratione ad

eum putas pertinere, ubi Principem suum aliqua captum uidet libidine? Retinere ad salutem, nec quo ille incumbat eo impellere. A L B. Haud aliter dicere possum. M A R. Quid igitur futurum, si uir quispiam bonus unius honestatis curam ducens, simul & ad salutem respiciens Principis, ac citus in consilium suadeat Principi fidelis medici morem, ut ab his & illis abstineat lucris tanquam turpibus & iniustis; nonne assurgens tunc coquus aliquis, qui studeat dulcedine prædæ cupiditates Principis replere, nullo iusti iniustiue habito discrimine, accusabit illum? tanquam extenuet Principem, ad maciemque deducat, asserens non posse sine congerie multarum pecuniarum subsistere principatum, & quum hæc dixerit assensumque Principis tulerit, quid futurum (inquam) est medico illi? an non eiicietur, aut etiam necabitur? coquus in honore habebitur? A L B. Haud aliter eueniet. M A R. Vbi hæc contingunt, nonne putas contingere ex inscitia regentis? A L B. Et maxima quidem. M A R. Hanc inscitiam nocere existimas bono illi Consultori? A L B. Existimo profecto, si quidem ob honestum consilium, aut patrimonium, aut patriam, aut libertatem, aut uitam amittet. M A R. Erit tamen illi in malis maximo solatio recta conscientia, dum meminit se nihil de republica nisi honestè præclarèque sensisse. A L B. Erit profecto: nam & calamitas ipsa uirtutis suæ illi feret testimonium. M A R. Quid Principi talia peragenti putas ne rectè procedere? A L B. Non arbitror. M A R. Quid? non arbitror dicis? ac non dicis potius id necessario consequi. Enim uero si febricitans aliquis medicum reiiciat, coquum audiat (ut tibi per eam dem loquar imaginem) dubitauerit nemo, quin homini rectè se habere non possit corpus, si ita curetur. Quum uero animus Principis fœdus exæstuet cupiditatibus, & medicos sibi optime consulentes reiiciat, oderit, supplicio afficiat, coquis; se tradat, ecquis est, qui non intelligat animi ualetudinem huic rectè non procedere, ac fore ultima quæque deteriora prioribus? Ipsi tamen coquos magno habebunt in honore. A L B. Magnam prædicas horum coquorum potentiam. M A R. Magna est ualdè penes eos, qui sibi uoluptatibusq; suis indulgent. Hos coquos prudentes uiri, qui in Principū aulis uersantur, nimis malè metuunt, uoco autem istos Principum asseclas ex imagine coquos, quoniam, ut illi suauitate obsoniorum corpora, sic isti uoluptatibus ministrandis atque fouendis animos corrumpant, & quoniam coquinaria nihil aliud præstat, nisi quod adulatur corporis, sic isti, qui nihil aliud norunt, quàm adulari Principibus, meri to huius artis nomine censentur. Isti autem eo magis incumbunt, quod propriè gulam Domini tenent. Nam nosti illud.

Non satis est ars sola coquo seruire palato,
Nanque coquus Domini debet habere gulam.

Si sæuus fuerit Dominus, si arrogans, si auarus, si uoluptuosus, suggerunt isti per singula, unde gulam Domini suauitet mouere possint. Si quid auet satur ille, ipsi quoque auersantur: dulcia enim & iucunda tantum supponere certum est, quod etiam munus explent. Et hæc est causa illorum potentiæ. A L B. Quo igitur Principes uocas? M A R. Huc Alberte, ut studeant

deant optimis esse moribus, optimamq; adipisci disciplinam, si modo & si bi & alijs uelint esse utiles: non enim satis est ipsis, si neminem fallant, nisi etiam prouideant, ne ab alio fallantur, quod ingenuæ præstant artes, quæ & ingenium acuunt, & pectus erudiunt. An non in laudibus est Alberte prudens simplicitas? ALB. Vtique. MAR. Ergo hoc ostendit non satis esse non fraudare alium, nisi ab aliorum fraude quis sibi cauerit. Fraudes autem uoco adulationes, quibus illi ut pisces hamo capiuntur. Ducunt enim isti suos Principes quocunque libet nec alia re, quàm cibo aliquo oblato, qui sensum mulceat, & miseri tunc Principes capere se putant, quum capiantur. ALB. A quo capiantur? MAR. Ab ipsa improbitate, in quam ueluti in hamum incidunt, & ab ea transfiguntur. Fortuna id illis tribuit, ut abundent opibus & potentia, ipsi autem quid per se afferre ex altera parte debent? ALB. Si me audierint atque te, afferent prudentiam. MAR. Rectè loqueris, sed adde, quod non prudentiam tantum afferent, sed reliquas uirtutes quoque prudentiæ comites, & quod usque eo progredientur, quoad ostendere possint animi dotibus se nemine inferiores. Nimis forsitan Alberte requirere nunc uideor: dum dico animi dotibus debere eos nemine esse inferiores. ALB. Id forsitan quibusdam uidebitur. MAR. Quid si dixero oportere cunctos, & in sua unumquenque laude superare? ALB. Grandior hic erit sermo, & sonantior, & admirabilior. MAR. At si istud dicerem, non puderet dicti, nam sententiam istam probare conarer uetustatis iudicio. Non enim priuatos ullos, sed Reges finxit antiquitas bicipites fuisse, sicut de Iano & Cecrope accipimus. Cur? Nonne portento & monstro est simile hominem cum duplici capite nasci? ALB. Non ego ex matris utero sic prodire uoluissem. MAR. Attamen ueteres tales finxerunt suos Reges, sed non ad formam corporis hoc illi referebant, sed ad uim sentiendi & intelligendi, quam in regibus duplam esse ad cæteros censebant. ALB. Præclara igitur illa fuit fictio, nec admiror tamen id sic finxisse respiciens ad ueterum consuetudinem, qui figuris & imaginibus plerunque res magnas & graues notabant. MAR. Quid de Episcopis nostris dicam? nonne hos ueluti animarum Reges uocare possumus? Sed ut omittam hoc Regium nomen, quo illi non utuntur, nonne & ipsi pastores se uocant, & ab alijs uocantur? ALB. Hoc pastorale nomen uideo undique illis tribui. MAR. Quid causæ censes? Nonne, ut de nomine ipso intelligeretur eos tantum doctrina excellere oportere, ut reliqui ad eos collati gregis numero habeantur. Non enim credo mitram, & recuruum baculū, sandalia, annulos, et si qua alia sunt Episcopi insignia, causam huius esse nominis, sed doctrinam ipsam atque sapientiam. ALB. Credo & ego doctrinam in causa fuisse huius nominis: Nam bonis Ecclesiæ temporibus docti tantum, & eruditi uiri Episcopale hoc regnum tenebant. Nemo tunc id pastoris nomen deturpabat, sed gregem unusquisque suum uerbo & exemplo pascebat. MAR. Rectè addidisti Alberte illud de exemplo, nam exemplum quoque ualdè ad doctrinam pertinet, quia ostendit rem id fieri posse, quod sermone fieri præcipitur. Sed quid uetera repetimus? Nonnulli paulùm supra hanc ætatem propter singularem doctrinæ opinionem pontifi-

catum maximum adepti sunt, qui opibus, diuitiis, potentia maximis iam se Regibus æquauit. Auctoritate uero omnis mortalis conditionis fastigium excessit. Quod igitur quibusdam plusquam regalem peperit dignitatem, cur turpè ducant Reges sibi uendicare? Num, quia Reges nascuntur? at ea est causa, cur magis incumbere deberent disciplinis, quum certo uideant se regnaturos, neque sine disciplinis nequeant præclarè id munus explere. Huius rei causa manifesta est quidem de superioribus sermonibus, sed apertius adhuc dicetur si patiemini. Rex simulac natus est, seu is, qui regnum postmodum suscepturus est, magna parentum ciuiumq; lætitia natale eius celebratur, & alumnis tunc traditur educandus, atque ita tenere & molliter eius educatur infantia. Deinde ubi ex infantia ad pueritiam prorepsit, prima literarum elementa capit & grammaticorum scita audit, & ex his aliqua discere incipit. Vbi ad decimum aut duodecimum peruentum est annum, tum lentius negocium disciplinarum agitur, quum uehementius illo tempore se magistris tradere oporteret, hinc ad quinque uel sex annos, hi quos circa se habet purpurati, imbuunt adolescentis animum uana opinione: negantes regium esse quotidie caput in libros mittere, & horum loco, uenationem, æquitationem, aleam, amores, potationes proponunt. Ille autem facilè suaderi se patitur, & à labore declinans studiorum comite, illa potius sequitur, quæ sensibus uidet esse primaria, ibiq; omnis disciplinarum ratio perit. Sed iam sese Rex corroborauit ætate. Tum planè illi incumbunt: excitatur spe augendi imperii: memorantur opes & copiæ regni, maiorum uirtus, belli gloria, triumphorum decus, negant iuuenem Regem ocio senescere oportere: Alii prædandi rapiendiq; uias ostendunt populosq; tributis onerandi: quanquam iniquitas non egeat forsitan magistris: ingeniosa enim per se satis, attamen plura etiam ab aliis discit. Sic Rex laudis auidus pluribus hortantibus ad bella festinus progreditur, nec ueretur se suaq; omnia dubiæ Maris aleæ committere. Hæc est suasio præclara: semper interfuit ser uorum Dominum habere negociosum, ut eorum opera illum promereâtur.

ALB. Tu quidem Marce descripsisti ad unguem, quod fieri solet. MAR. Sic equidem fieri iudico. Vterque autem nostrum suaserit rectius bis, quibus cura puerorum regiorum cõmittitur, ut omni conatu dent operam, ut initio ætatis imbuant eos optimis disciplinis: tunc enim incipiendum est, ut res deinceps ad maturiores annos paulatim perducatur, ubi perficietur, & perfecta fructus feret uberrimos, nam puerilis animus mollis est & tener, & duci facilis, & quo trahere uelis, sequax, hinc ubi quicquã apprehensum fuerit, & in animo puerili tanquam in uacuo & inani fundo resederit, haud facilè euelletur: sed comitabitur maiori in ætate indelebile, pugnandumq; omnibus artibus, ut è pueritia in adolescentiam transgressus ille in eo, quod benè cœptum fuit, perseueret: nec abducatur à studiorum labore ad uoluptates, quæ se in illo primo adolescentiæ flore ostendunt, sensibusq; lenocinantur. Hoc dum efficitur, nonne spe iam beatum illud est regnum, cui in magna rectarum artium copia Rex educatur? Sed, ut opinor, bæc frustra canuntur, & in nubes uerba sparguntur. Nam adeò contraria inualuit opinio, ut non modo Regium non putetur literatum studia persequi, sed ne nobile quidem,

quidem, hoc est, ut planius loquar, non esse id regiæ dignitatis, ac ne nobilitatis quidē. Scimus tamen olim homines nobiles non modo didicisse plura, sed etiam scripsisse. Obiectum aliquando Terentio fuit comico Poetæ.

Homines nobiles
Eum adiutare, assiduèque unà scribere,

Num legisti aliquando hoc carmen Alberte? ALB. Legere memini, mihique huius carminis diligens cura fuit. MAR. Num inficiatus est hoc crimen ille? ALB. Minimè, sed gloriosum sibi putauit tales adiutores habere. MAR. Rectè ais: sequitur enim.

Quod uehemens maledictum illi existimant,
Eam laudem hic ducit maximam, dum illis placet,
Qui uobis uniuersis & populo placent,
Quorum opera in bello, in ocio, in negocio.
Suo quisque tempore usus est sine superbia.

Erant hi, qui obuciebantur adiuuare Poetam in scripto comico è Principibus Romanæ ciuitatis, summo genere nati, summa amplitudine, maximisque rebus gestis. Si peculiaris esset nobilitatis ignorantia literarum, poterat Poeta ab accusatoribus quærere an non puderet illa dicere? quomodo enim dicere possunt, se ab illis adiutum uiris in scribēdo, qui propter nobilitatem & amplitudinem nesciunt omnino literas, num ignari literarum possunt scribere? num alium scribendo adiutare, etiam si cupiant? his & talibus argumentis poterat illos urgere Poeta, sed non hac ratione repulit maledictum, sed illa, ut non improbet scientiam nobilium, sed magis accepisse dicat scripta illorum, quod tales essent, qui scripsissent. Itaque quod nonnulli uano errore decepti putant turpè esse, si scribant sibi idest ad aliquam suam laudem & fructum, id non modo turpè debet uideri, sed laudabile, si scripserint etiam aliis, ingeniumque suum illis suppeditarint. Nobilitas igitur generis non modo non deteritur scientia literarum, sed etiam illustratur, principatus uero sustentatur, nam ubi maior regenda moles, plus illic præsidii inesse debet, magnum autem præsidium à literis, quibus ad omnia erudimur, nec si qui Principes disciplinas sectati, malè imperarunt, ideò abiicienda doctrina literarum, non magis, quàm medicina, eo quod plures medici uel inscitia uel fraude multos occiderint ægrotos, non magis quàm canendi ars, eo quod plerique inconcinnè & barbarè canant: Etenim eos, qui secus agunt, ac illis doctrinæ præscribat ratio, doctos esse nego, uti tamen doctorum hominum posse uerbis nunquam negaui, doctos autem esse eos puto, quos doctrina suasit bonum id esse solum, quod ipsa fieri iubet, cætera fraudes esse & deceptiones, tum à sensibus, tum à uulgi opinioni profectas: ad hanc ego formulam Principem doctum requiro, non qui uerbis & disputationibus, sed gestis ipsis doctrinam ostendat. Eum autem, qui loquitur è doctrina, & uiuit contra doctrinam, non habeo pro docto, sicut nec pro pictore illum haberem, qui malè pingeret, quanuis de pingendi arte loqueretur scientissimè. Demū is Princeps, cuius immensa gula, uana lingua, manus rapaces, animus sæuus, quum deinceps laudat æquitatem, iustitiam, continentiam, & harum uirtutum officia exponit cum uitu-

peratione contrariorum docti ne, an insani potius nomen ferat, qui ea loquatur & contraria agat? quid assequitur illo sermone, nisi quod se ipsum accusat? nulla enim dubitatio relinquitur, mala esse, quorum ille meminit, ut malorum, non expectat aliorum testimonia tacitus, sed propria uoce damnari appetit. Sed non si quidam nihil è literis præterquam inanes quasdam uoces retulerunt, ideo fit, quin fuerint plures, qui ab illis magnum sumpserint auxilium ad res bene gerendas, imò sine illis uix potest quisquam Princeps magnus clarusque euadere: omnem enim diuinarum humanarumque rerum cognitionem continet, animo tantum opus est obsequente, & ad obediendum parato, nihil iubent, nisi sanctum, sincerum, integrum honestum, addo etiam nisi utile, tam & si sæpius utilitas latet initio, sed in exitu se ipsam ostendit: quicunque autem Principes literarum sunt rudes, fieri potest diuina quadam fortuna, ut imperium rectè administrent, metuendum tamen est, ne cupiditatibus suis pareant, & in illicita omnia & nefaria ferantur, & eo magis, quo maius imperium, quia latiorem uim nocendi nacta est libido. Nemo priuatus, imò ne plures quidem priuati in unum simul coniecti tantum nocuerunt, quantum unus nocuit. Nero, quantum Claudius, Caligula, Domitianus, Commodus, Bassianus, Maximinus, Carinus, Licinius, & si quæ huiusmodi pestes in imperio fuerunt, nullum à doctrina repagulum aduersus effrenes libidines, nullum ab honestis studiis subsidium aduersus Assentatorum uoces habebant. Itaque tot numero & tam immensa magnitudine flagitia ediderunt, ut horreat animus ea cogitare. Quid dicam animum impurum fuisse, quum corporis nulla pars à flagitio uacaret? quem diem excipiam, quum omni ferè hora aliquid fieret sceleratum? quid memorem ciuium uitam extinxisse, quasi domesticis pepercerint? inquinati sunt dedecore, turpitudine, peccato: pudet referre, quàm leuibus ex causis homines ex omni ordine ad necem traherentur: nigebant maiestatis iudicia, non solùm ob factum, sed ob quodlibet dictum, quidam etiam, quod in somnia Principi improspera uidissent, extincti sunt. Alii, quod genesim Imperatoriam habere dicerentur, uel quod de uita & salute Principis mathematicos consuluissent, necabantur. Nonnullis crimini fuit, quod hæredem instituerant Principem, & adhuc superuiuerent: Fœminæ, quæ de ui, de siccariis, repetundarum, reip. oppugnatæ, incusari non poterant, ob lacrymas damnabantur: obiiciebatur enim, quod perduelis cuiuspiam necem defleuissent. At hi Imperatores, quos modo retuli, plures imperitarunt annos, ut potuerint sæua multa patrare. At Aulus Vitellius, quum paucos menses potitus esset Imperio, tam multos extinxit, ut credi possit diutius imperasse. Inter cætera illud egregium, quod quum in ipsa salutatione inimicum suum quendam ad supplicium duci mandasset, moxque reuocasset, & ad se adduci iussisset, cunctis, qui aderant, id fieri censentibus, ut miserò illi parceretur, & iam clementiam eius laudantibus, coram iugulari imperauit, uelle dicens oculos suos pascere. Huic non satis fuit gulosissimæ fuisse uitæ, nisi etiam crudelitatem pro cibo haberet. Quicunque horum Principum gesta legerit, facilè intelliget nihil esse truculentius suprema potestate, ubi neminem metuit, nemi-

nem

nem neretur, nulli referre gestorum rationes obnoxia est, multumque ani mo perspexisse is uidetur, qui Lacedæmone remp. olim legibus temperauit. Nam quum uideret regiam potestatem de nimia licentia intumescentem, eam coercuit Ephoris additis, qui supra Reges essent, & qui cohiberent, atque etiam pœnis afficerent, si delinquerent, & contra morem aliquid moli rentur, nec alia ratione Romæ quondam oppositi consulibus tribuni, quam ut adimerent illis iniuriæ faciendæ potestatem. Isti autem, qui secundum genus amplissima suscipiunt imperia, quæ legitima censentur, quod mos ea patrius permittit, nolunt se subiici alteri, recusant certi alicuius magistratus animaduersionem tanquam equestre frænum recipere. At iuris, æquitatis, rationis in eos sunt uincula æternæ legis instituto imposita: ita est, sed ea facile perrumpunt Principes, nisi si quis eorum bonis imbuere se ipsum studeat moribus, eosque salutiferæ doctrinæ præceptis muniat, atque stabiliat aduersus superbiam & luxum, quæ duo maxima mala principatus sponte sua secum afferre solet. Nemo autem existimet fœlicitatem assequi se peccatis: nullum enim peccatum sine pœna, primùm in ipso peccato maxima est pœna, quod per ipsum exuit homo se ratione, & beluæ induit imaginem: deinde ne externæ quidem hæ pœnæ deficiunt. Deduxi in medium Caligulam, Neronem, Domitianum Cæsares, qui sceleratissimè imperitarunt, sed non id illis cessit impune, nam quas in uita pro his penderint pœnas notissimum est, nec quantus nunc post mortem pendant, arbitror ignorari. Est ne quisquam, qui horum Imperatorum, quos modo memoraui, dicat quenquam doctum fuisse? nemo dicit: rudes enim magnarum artium fuerunt: sed demus uidisse illos stellarum numerum, nouisse omnium animantium linguas, quod de quibusdam fabulosè proditum fuit, demùm tenuisse cunctarum rerum originem, progressionem, terminum, tamen quum tam multa ediderint sæua contra doctrinam præceptaq; sapientum, pro doctis non haberem, sicut nec pro Philosophis, idq; mihi cum Platone commune est, qui sententia sua Philosopho tradidit reip. gubernacula, sed ei Philosopho, non qui detritus sit in naturalibus, Dialecticis & Mathematicis, & qui ualeat qualibet de re argutissimè disputare, sed qui animum habeat imbutum ueris de honesto utiliq; opinionibus, & cunctis prauis affectibus superiorem. Hunc quem Philosophum Plato, ego doctum uoco, & rectè quidem, quando alterum alteri inest, nam nec sine doctrina est Philosophus, nec sine Philosophia doctus esse quisquam potest. ALB. Nescio an Gothici nominis auctoritas penes nos quicquam ualeat. MAR. Quid ita narras? ALB. Quia aiunt hoc Gothorum institutum fuisse, ne rex eorum litteris imbueretur. Propterea, quod studiis literarum frangi fortitudinem, remollescere animos & effæminari arbitrarentur. MAR. O inscitiam barbaricam, & uere Gothicam. ALB. Sciebam iandudum, quod ita iudicares, ac barbaros homines inscitiæ damnares. Attamen ad id, quod debilitari animi uim ac robur literarum studiis existimant, à te dicendum est aliquid. MAR. Quid? cum barbaris hominibus censes disputandum, præsertim his, qui iam non extant. ALB. Non ad Gothos respicio ego, qui iam sunt nulli, sed ad quosdam alios non minus ingenio barbaros & feroces,

qui

qui eadem forsitan, quæ Gothi censent. Vbi Gothos ratione fregeris, omnes illarum partium & artium fregisse putato. Aggredere igitur, & ucram aduersus Gothicos homines defende sententiam, & ut cœpisti literarum patronus esto. MAR. Aiunt isti literarum studiis eneruari mentis uires, ideò interdicta esse Regi studia literarum, quasi Rex ad unam tantù respicere fortitudinem debeat, & non ad reliquas quoque uirtutes, maximæque ad iustitiam & temperantiam, aut quasi non liceat fortem esse sine rabie ac furore. Apparet profectò istos ut Gothos, nesciisse quid sit fortitudo. Etenim fortitudo nihil aliud est, quàm stabile & constans mentis iudicium, quo impellitur animus ad durissima quæque subeunda & sustentanda propter honestatem, hoc iudicium non eripiunt literæ, sed contra, pariunt, nutriunt, stabiliunt, tuentur. Quamobrem non sunt impedimento fortitudini, si quidem sunt adiumento, nec si eædem modestiam & mansuetudinem præcipiunt, ideò quicquam detrahitur de fortitudine, nec fortitudo maior adiuncta feritate & immanitate. Hoc sic intelligi potest. Fuerunt olim gentes nonnullæ circa Pontum & Siciliam, aliisque in regionibus, usque adeò efferæ & inmanes, ut carnibus uescerentur humanis, & omnia cruda uorarent, non tamen eas constat cæteris fortitudine præstitisse, & latos imperii fines habuisse: quin censendum est timidos potius extitisse, quod non apertè pugnabant, sed clanculum, & ex insidiis latrocinabantur. At contra, nunc spectemus: Nulli Romanis humaniores, nulli fortiores, qui efferas nationes multas armis obtinuerunt, & eas legibus datis coercuerunt, & dicto sibi audientes esse coegerunt. Qui Lacedæmoniis, Atheniensibus, & omnibus Græcis in omne humanitatis genus proniores? ab iis iura legesque ortæ, omnis elegans cultus & uictus, omnis liberalis doctrina processit, iidem manu strenui & fortes fuerunt, & quodam tempore bellica laude floruerũt. Quot pericula & quanta ab externis illata gentibus audacissimè repulerunt? Quoties paruis copiis ingentium Barbarorum multitudinem fuderunt & afflixerunt? lege res gestas Græcorum penes Xenophontem, Herodotum, & grauissimum historiæ scriptorem Thucydidem. Lege Plutarchi Agesilaum, Themistoclem, Phocionem, Aristidem, & alios plures, quorum ille uitam in literas misit: inuenies eos fortitudine præstitisse, multaque prudenter gessisse cum summo mortis dolorisque contemptu, & nihilominus in reliquis uitæ partibus moderatos homines & suaues extitisse. Sed & in animalibus uidemus ferociora esse ea, quæ mansuetudinis habent plurimum, quales equi sunt, leones, canes, elephanti. Sed quid animalia rationis experta, quid cæteras nationes appello? quum à Gothis, de quibus agitur, exemplum sumere liceat, nec debeant Gothi ab aliis exempla mutuare, sed ipsi sibi ipsis exemplo esse possint. Ipsi nanque olim desertis suis sedibus ausi sunt Italiam Hispaniamque inuadere, quas prouintias, & si primò aduentu uastauerunt, attamen ab humanioribus nationibus ferro postmodum cæsi sunt, & iustissimas feritatis & immanitatis suæ pœnas dederunt, & ut omittam reliquas eorum clades, à Belisario primùm, deinde à Narsete ambobus Iustiniani Ducibus tam magno prælio afflicti sunt, ut Gothorum nomen unà cum regno his in regionibus interierit: non est modestia aduersa-

ria fortitudini, sed uires eius temperat, ne uelit aut audeat turpiter aliquid, indecorè, inconsultè: nunquam dicit modestia uiro forti, ne sis fortis, sed ne sis audax, temerarius, præceps, uide ne quo improuidè ruas, pugna pro æquitate, pro decore, pro honestate, non adimo tibi contemptum periculorum & mortis, sed seruare te illum iubeo ad certas res & causas, quibus prudentet & laudabiliter eo uti possis. Interim melius est ad humanitatem, mansuetudinem, facilitatem te conuertere, ut ostendas te hominem genitum, & ut uictum cultumque humanum teneas, & caritate cæteris hominibus iungaris, & memento Agesilai optimi regis dicentis nihil opus esse fortitudine, si iustitia ab omnibus colatur. Quamobrem optandum nobis esset ne tua unquam sit opus fortitudine, & si quando opus erit, exerceas eam suadeo, reliquis temporibus mansuetus & benignus erga omne hominum genus esto: Nec tunc minus eris fortis, dum illud animo assiduè fixum inconcussumque teneas, non esse tanti ulla pericula, ullos dolores & labores, ullos tetrotes amittendæ uitæ, aut patrimonii, aut cæterorum commodorum, ut te debeant ab honesta ratione reuocare: id agens fortis eris, etiam dum quietem egeris, nemo repente fit fortis, nisi ad id antea se præparatit, & cogitet humana omnia homini esse negligenda, quo dignitatem animi decusque retineat, hæc dicet modestia ad uirum fortem omnia ponentem in factorum atrocitate, ut eum paulo quietiorem teddat, cuius oratio mihi ualdè, nescio an tibi etiam probetur. A L B. Iam ista oratio mihi dudum est probata. M A R. Cur igitur me hæc dicere compellis, si quidem hæc tibi iampridem sunt probata? quo more id agis Alberte? A L B. Eodem Marce, quo tu & cæteri Iudices solent: nam hi, & si sæpius de causa statuerint intra se ipsos, & teneant, quid sit pronuntiandum, gaudent tamen patronos causarum de re audire. M A R. Vah, meo me telo confecisti. Verum ut redeamus ad Gothorum institutum, quo auocant regem à literis, ne per has teddatur effœminatior, uides, imò uidisti iam dudum, quã improbus sit iste sermo, nec si improbus est sermo, æqua potest esse constitutio. Nihil enim prohibet regem fortissimum esse eundemque modestissimum, ut hæc dictant: ac ne militiam quidem eius cuperem modestiæ esse expertem, quamuis præferocem esse oporteat, quod si optandum est, uellem Leoninis esse moribus, idest in hoste duram atque asperam, sed in amicos & socios ac planè supplices benignam & quietam. At contra nunc uideas à militibus fieri, qui hostibus facile cedentes uim suam in amicos & socios ostendunt, mouet me (ut hæc dicam) uastata prouincia: nam & direptiones oppidorum, & depopulationes agrorum, & exustiones tectorum non tam ab hostibus, quàm ab iis sensimus, quorum partes sequebamur. Incolæ prætetea tot damnis affecti, tot exhausti sumptibus, ut nihil ferè illis sit reliqui. A L B. Desine quæso ab istis, quæ non possunt sine summa animi molestia memorari. M A R. Venit iam in mentem quiddam, ut minus mirer Gothos ea dicere. A L B. Quid iam id? M A R. Quia non Barbari iam quidam & rudes, sed elegantes homines & urbani, summa ingenii facultate affluentes usi sunt à philosophiæ studiis abhorruisse: quasi illa mores faceret, & tebus getendis ineptos. A L B. Ego quoque audio ita quosdam

dam putare. MAR. Sed non rectè, ut superiora ostendunt. Cur enim Philosophia regem institueret, reip. administrandæ uiam ostenderet, si frustra moneret, & inutiles ad res gerendas redderet uiros? Cur fortitudinem animi tantopere extolleret, & de reliquis uirtutibus tam multa effunderet, si rationes, quas colligit, non confirmare animum, non usui esse possent? Num à rebus agendis retrahit? At illa præcipuè uox est eius omnem uirtutem in actione consistere? At mortis contemptum docet & doloris: quamobrem? nisi ut forti animo durissima quæque honestatis studio aggrediamur. Sed exemplis quoque ostenditur falsam illam esse cogitationem. Non enim Philosophia impedimento, sed maximo adiumento est ad res gerendas. Qui & quantus fuit dux Xenophon Socraticus in eo exercitu, quem minor Cyrus regnum Asiæ affectans aduersus fratrem compararat. At hic tantos in Philosophia habuit progressus, ut ausi fuerint quidem eum Platoni exæquare. Num Philosophia ratio fecit, ut minus exercitum duceret, & cum hoste manus consereret, ac non potius instructiorem reddidit ad omnia? Quis Romanorum Imperatorum præstantius administrauit imperium Marco Antonino, qui Philosophiæ assiduè operam dabat? Non enim languidiorem Philosophia reddidit, sed acutiorem. Dio & Brutus, quorum uitam, ut simillimam Plutarchus colligauit, quot & quanta gesserunt? qui tamen Philosophiæ præceptis instructissimi fuere. Quid de Chione dicam Pontico, Platonis auditore? huius extant grauissimæ epistolæ, in quibus patri pollicetur Clearchum nouum Tyrannum manu sua extincturum, nec diutius passurum, ut patrias leges & iura libertatis ciuibus adimat, & cædem optimorum uirorum moliatur, nec minus fortiter fecit, quàm dixit: Nam ex Athenis, ubi philosophandi causa morabatur, in patriam regressus Tyrannum interemit. Num id Philosophia eum cogitare non permisit? aut si permisit, num à proposito reuocauit aliquando? num remorata est? num impedimento fuit, quo minus perficeret cogitata? Multi etiam alii Philosophi Tyrannos sustulerunt, patriamq; liberarunt, nonnulli quum in potestatem Tyrannorum uenissent eos contempserunt. Vnde illud Anaxarchi, qui quum à Nicocreonte Cypri Tyranno, cui insidias fecerat, pilis fereis tunderetur. Tunde tunde Anaxarchi uasculum: nam Anaxarchum non tundis. Illud etiam præclatum Theodori Cyrenæi Philosophi, cui quum Lysimachus Rex crucem minitaretur. Hæc minitare (inquit) tam horribilia Purpuratis tuis, Theodori nihil interest, humi an sublimè putrescat. Et huic quidem Lysimacho sic fuit responsum, ut intelligere posset, quanta animi firmitate Philosophia uirum dotaret. Alter fuit Lysimachus Agathoclis filius Macedo comes Alexandri Magni in Asia belligerantis, genere & opibus clarus, uirtute clarior, non ille quidem Philosophus, sed Callistheni Philosopho, qui tum in comitatu erat, assiduè dabat operam, tebusq; Callisthenis fauebat, quod ægreferens Alexander hominem Leoni obiecit: at ille manum amiculo obuoluens in os Leonis iniecit, arreptaq; lingua feram exanimauit. Optabamus modo milites Leoninis esse moribus. Hic à Philosophia attulit Leonis animum aduersus Leonem, & Leone quidem ipso fuit uiolentior. Efficit Philosophia assiduè tractata impauidos uiros, interritos, indomabiles:

les: tantumq; abest, ut obsit, ut ualdè etiam prosit, quotiescunque opus est animi præsentia, rectèq; Plutarchus huius Alexandri uocem improbat, qui ubi uidisset Diogenem humana omnia contemnentem, & infra se ducentem, conuersus ad amicos dixisse fertur. Si Alexander non essem, Diogenes esse uellem. Imò (inquit ille) quod Alexander erat, eo magis Diogenes esse debebat, quod si fuisset, non rebus postea in Asia ad uotum fluentibus se uino ingurgitasset, non humi adoranones à Macedonibus exegisset, non in deuictarum gentium cultum habitumq; transisset, non in conuiuio amicos, atque illum ipsum Callisthenem rectè suadentem peremisset: denique non secundæ tes illum submersissent. Sed quid ita ago, quasi hæc integra sit disputatio ac non sermone hoc omni confecta: nam quum ostensum iam sit Principem non rectè remp. administrate posse, nisi literis imbutus sit, cui dubium relinquitur, eum quoque ad Philosophorum literas accedere debere, unde sapientiæ uirtutumq; omnium præcepta hautire queat. Sed iam non modo ab istis, uerum etiam ab omni reliquo sermone libenter desino: Nam iam Sol ad occasum properat, & pueri circa lances, pocula, & mensas discurrunt cœnæ apparandæ gratia. Verùm ut concludatur hæc Oratio, quam de doctrina Principum sumpsimus, breuem dicam sententiam ad uersus eos, qui putant satis esse literarum in Principe, si sciat legere epistolas ad se missas, & scribere nomen suum ad signanda rescripta grandioribus literis, lisq; malè compactis, nam quo deterius scribitur, id istis suauius esse uidetur, & magis è dignitate Principis. Sed uenio ad sententiam. ALB. Quid tibi hæc uult sententia? Nondum enim intelligo. MAR. Quia mihi agendum nunc puto, perinde ac si de re hac Senatus aut populi concio haberetur, & post longam orationem breuiter mihi censendum esset. ALB. Dic igitur. Nam te quoque censentem libet audire. MAR. Ego igitur Marcus ita censeo. Nemo, nisi qui sapientiam adeptus sit, optet sibi potentiam, si non habeat. Si habeat, me auctore deponat, quoniam retinens multis magnisq; implicabitur peccatis, quæ nemini expedit contraxisse, nec uiuo nec mortuo. Quod si sapientiam adipisci uelit, ut eam coniungat potentiæ, sciat id facilè non posse contingere. Sed quo difficilius, eo præclarius, nam primũ illud quæritur, ut docili feracíq; sit ingenio. Deinde opus est multorum literas uidere, sententias cognoscere, per antiquorũ scripta uolutari. Postremo opus est meditatione summa & exercitatione ad mores suos componendos, plura etiam usu periclitanda & pernoscenda; quicunque autem ex Principibus sic fuerit instructus & ornatus, magno sibi & reipub. usui fuerit, magnisque decorabitur præmiis, non his humanis tantum, sed illis etiam quibus summa Dei benignitas sapientes & rectè publicis prospicientes commodis complecti solet. Dicta est sententia, quæ finem imponit huic nostro sermoni, imò non imponit, quoniam aliquid aliud addendum uidetur.

ALB. Quid nam addendum putas optimæ sententiæ? MAR. Pudor quidam me occupauit. ALB. Scio: pudet te Principum illiteratorum.

MAR. Non horum nunc, sed nostri pudet. ALB. Nostri (inquis) pudet, quid ais? aut in quo deliquimus? An non uerus sermo noster? MAR. De ueritate non conqueror sermonis. ALB. An non disertus is fuit, ele-

gans, copiosus. MAR. Non accuso paupertatem in loquendo nostram, non imperitiam. ALB. Quid igitur aliud si ex hac parte non damnas. MAR. Vis me audacter loqui. ALB. Volo. MAR. Disputationem hanc nunc totam mecum reuoluens Alberte existimo nos non fecisse præclarè, sicut initio existimabam, quod hac de re loquuti fuerimus, præsertim ram multa, sed turpiter: pudet enim, quod inductum fuerit ignorantiæ, aduersus doctrinam certamen, ac non statim reiecta fuerit ignorantia uelut indigna, quæ cum doctrina gradum conferret, An non rectè pudet? ALB. Fortasse: Vide tamen, ne defendere nos possimus exemplo Philosophorum, qui uoluptatis certationem cum uirtute induxerunt. MAR. Potest dici Alberte hanc cum uirtute uoluptatis certationem non minus esse turpem: Itaque hoc exemplum non me ualdè solatur: Nam ut est apud Horatium.

Nihil agit exemplum, litem quod lite resoluit.

Est tamen aliud quiddam, quo recreor paulu lum. ALB. Quid? MAR. Recreor ego paululum Alberte, dum specto nulla id factum esse nostra culpa, sed temporum, quæ pessimis obnoxia sunt moribus: Ipsa enim sunt, quæ certationem hanc induxerunt non satis decoram neque honestam, atque id forsitan fuerat ferendum, nisi quod iam multi ignorantiam præferunt, doctrinam omnem in summis potestatibus facilè iacere patiuntur. Nos aduersus hos insurreximus, plura diximus: ego etiam sententiam ad extremum protuli, quasi res in Senatu aut in concione populi ageretur, quorum tamen neutrum babui, quod si alterutrum habuissem, quos aut quales suffragatores nactus fuissem, nescio. ALB. Si colloquium id nostrum in literas mittere uolueris, rem te dignam, & aliis tuis consimilem, nobisque gratam feceris, & tunc tibi fuerit dicta sententia per libellum, non his aut illis uno loco collectis, sed sparsim eruditis omnibus, non huius modo ætatis, sed posterioris quoque, quicunque scripta tua in manus sumere curabunt, eosdem ingenii tui Iudices & sententiæ suffragatores habituros.

FINIS.

MARCI ANTONII
NATTAE ASTENSIS,
IN IOANNEM FRANCISCVM NATTAM PATRVELEM FVNEBRIS ORATIO.

ET CONSVETVDO uetus à ſummis hactenus cuſtodita uiris, & pietas ea, quæ defunctorum manibus debetur, impulerant, ut liberet funus hoc dicendo ornare, præſertim quum tudimenta ætatis meæ in optimarum diſciplinatum cultu collocaſſem. Veruntamen, ubi primùm ſuggeſtum hunc cognoſcendi, oculosq; circuntuli, tam multa mentem perturbarunt, ut uerear aliquando ne expectationi ueſtræ & ſuſcepto muneri turpiter deſim. Moueor in primis loci huius atrati undique conſpectu, qui mœrorem ingerens eloquentiam læto de pectore facilè manantem oppreſſurum ſe debilitaturumq; minatur. Deinde quum excutio conuentus noſtri cauſam: miſeram illam quidem & acerbam, cogor interdum & meam & omnium uicem dolere, ut quibus à tergo inſtare ineluctabile mortis telum uideatur. Eſt enim naruralis quidam Amor mentibus penè innatus huius uiræ, quam diſſolui perhorreſcimus, ut nihil mirùm uideri debeat, ſi inter has cogitationes lucis deſerendæ oratio mihi labaſcit. At quum à cõmuni condicione diſcedens reputo ipſe mecum calamitatem hoc tempore inflictam, tum demùm fracto conſternatoq; animo uiribus uacuus aſſiſto. Etenim quum immaturo fato alieno tempore occiderit Io. Franciſcus Natta optimus & lectiſſimus adoleſcens, cui ſummi iam honores iudicio omnium debiti erant & parati, & in quo ſpem ſui maximam & certiſſimam patria collocarat. Vtrum æquius fuerat hoc loco Orarorum uerba, an luctus omnium & gemitus ſonare? Quid quod in communi dolore præcipuas ipſe lugendi partes ferre debeo? Is etenim qui fato ſuo functus à nobis nunc primùm inter homines uideri deſiit, non alienus à me, ſed iunctiſſimus fuerat & genere, & moribus, & literis: nam arctiſſima communio ſanguinis inter nos manebat: Idem uitæ cultus erat ambobus, earundemque artium ſocietas utrunque tenebat. Non iraſcor equidem Deo, quod hunc adoleſcentem nuper rapuit, quia forſitan ſecum eſſe uellet, attamen ubi familiæ noſtræ in mentem uenit tam egregia uirtutis indole orbatæ, ubi in me ipſum reſpiciens recolo tam caro propinquo, tam iucundo ſodali deſertum, non poſſum non uehementiſſimè perturbari. Non tam mihi ille flendus, qui ad meliora diſceſſit, quàm ipſe mihi met uideor, qui eo careo, quem plurimùm diligebam. Nulla maior me ipſum circunſtitiſſe uidetur calamitas: animus mœret, oculi lugent, omnis ſenſus in moleſtia ægrirudineque uerſatur, nihil intra me cogito, niſi quòd miſerum, nihil extra uideo, niſi quòd acerbum. Quicquid dicturus ſum, illo è uita ſubtracto, nec audire iam meam uocem

ualente,

ualente, id omne mihi flaccidum, angustum, mutilum, ieiunum, ac penè mutum uidetur. Quid igitur? deseram ne susceptum orationis munus? mi nimè uero: nec enim id decet aut fas esse puto; quin ubi nunc obtutu meo ora uestra complexus sum, ubi hunc clarorum hominum astantium cœtum & grauissimum illum Marchionalis Senatus consessum animaduerto, pudet initio Orationis meæ dolori uela dare, pudet perturbationi statim concedere, ac non aliquam uiro dignam magnitudinem animi afferre, præsertim quum tanta audientium dignitas elaboratam dicendi copiam deposcere & efflagitare uideatur. Aggrediar igitur exponere, quæ huic tempori & causæ congruere uidentur. Etenim sic existimo, quod in primis Franciscus nō ster debitis laudibus tollendus sit atque ornandus, & quibus uirtutibus uita eius floruerit, ante oculos ponendum. Quis enim ei adolescenti non faueat, qui rectissimo cursu ad optima quæque semper contenderit? qui uestigia quædam & exempla bene uiuendi seculo reliquerit? Is etenim mea sententia magnus, non qui uentre & turpissimis uoluptatibus summum hominis bonum diffinit, sed qui labores haud aspernatus uirtutem assiduè tanquam optimam uitæ ducem sectatur. Hic ergo primus fuerit Orationis meæ decursus: deinde id agendum, ut à præsenti luctu, mœrore, cura, sollicitudine animos reuocemus, quandoquidem sit uirorum fortium quæcunque casum fortuna inuexerit, hunc aptè, tranquillè, moderatèq; ferre. Hæc me præstaturum polliceor. A uobis autem peto, ut quemadmodum facere instituistis, benignas attentasq; aures sermonibus nostris præbeatis. Si Ioanni Francisco diutius uersari in terris, & ad extremos usque senectutis annos peruenire licuisset, non dubito quin res gessisset & magnitudine præstabiles, & nouitate primas, & genere ipso singulares, ut eas magni ac periti Oratores affluentes ingenio & disciplinis uix dicendo complecti potuissent. Nunc quoniam breuis illi uita & uelut præceps fuit, quædam tantummodo adolescentiæ rudimenta reliquit, quæ tamen, qui diligentius inspectaret, qui successus rerum, & qualia totius operis fastigia infutura essent, facillimè existimare posset. Sed nondum his locus, dicendum quippè initio uidetur aliquid de Francisci parentibus: nam quicunque ex bonis natus est, is quoque honestus existimatur. Patrem habuit Franciscus Georgium Nattam, quem trimus amisit. Mater adhuc superest Agnes Rotaria, quæ & si nobilitate generis multum excellit, attamen & probitate animi, & grauitate morum, & reliqua omni uirtute magis excellere existimatur. Nihil in fœmina primaria optari fingiue potest, quod illa cumulatissimè non possideat. De Georgio Natta huius Francisci patre, qui non multis ante annis occidit, meministis plerique, audistis ferè omnes. Is etenim, quoad uixit iuris scientia clarissimus fuit, & nūc etiam eius doctrina celebratur ob scriptorum præstantiam, quæ reliquit. Tum uero penes huius ditionis Principes primas dignitatis partes, primos semper honorum tenuit gradus. Tanta præterea hominis in rebus iudicandis integritas, tanta in gerendis solertia, tanta in consulendis prudentia, ut meritò huius oræ decus ac lumen putaretur. His igitur parentibus natus Franciscus, quum è pueris excessisset, iis literis informatus, quæ ad grauiorum artium cognitionem uiam sternunt, iuris sci-

entiam

etiam delegit potissimum, quam sequeretur. Dubitari hic poterat, utrum iudicio quodam id faceret, an naturæ potius inductus similitudine, quàm genus afferebat. Non enim solùm Francisci pater, de quo ante dixi, sed auus quoque & abauus præstantes Iurisconsulti extitere, & alii quoque multis in rebus summi fuere. Quod si maiorum decus & laus aliquam afferet posteris gloriam, possem facillimè ostendere Franciscum benignitate summi Dei id quoque munus consequutum. Sed quoniam si maiorum gesta persequerer, existimari posset me non tam Francisci, quàm mei causa id agere, quod ambo iisdem progenitoribus orti sumus, ideo relinquere decreui. Rediens igitur ad Franciscum, postquam quintum & decimum attingens ætatis annum iuri operam daturum se ostendit, statim Papiam adhibito etiam fratre eotundem studiorum socio se contulit. Post alia atque alia gymnasia peragrans, dedit operam ut nobilissimis uteretur Italiæ magistris, quibus addictus, quum asperitates omnes difficultatesq; discendi, diligentia, studio, uigilantia, & labore multo superaret, eo tandem deuenit, ut eorum, qui in eodem stadio decurrerent, nemo ingenii fœlicitate potior uideretur, pauci reperirentur ex magno numero, qui se illi doctrina exæquare auderent. At qui dici uix potest, quàm æqualibus gratus fuerit atque iucundus. Non ego genus, non diuitias, non opes, non corporis formam iacto: quibus quum exuberaret Franciscus, facilè animos hominum allicere poterat, sed de uirtute loquor, cui uni laus uera, & admiratio, & amor omnis debetur. Nam eximia eius quædam uis cogitandi, & præstans in literis cognitio, tum benignitas, & facilitas in omnes, loquendi suauitas, ac lepos, illa etiam oris alacritas, quam cernebatis, non homines modo, sed saxa & lapides, ut se adamarent, subigere potuissent. Videmus plerosque adolescentes his temporibus turpes esse, maledicos, petulantes, inuetecundos, demùm siue loquantur, siue quid agant odiosos. At in Francisco, quanta in uultu serenitas, tanta in sermone iucunditas erat, qualis in fronte pudor insederat, talis in facto modestia cernebatur. Neminem ille bonum figebat maledicto, nulli molestus erat iniuria. Beneficia si qua à cæteris capiebat, ea uelocius & largius remunerabat, quam si pecuniam fœnerato sumptam reddere debuisset, non tamen ipse promptè alios iuuans eodem exemplo utebatur, ut beneficium tanquam si pecuniam mutuasset reposceret, imò omni prorsus cura intentus erat, ut iis leuissimo oneri esset, quibus ipse maximo usui esse cupiebat: & quanuis ingenio strenuus ac fortis, manu etiam ad rem gerendum foret idoneus, eo tamen semper animo fuit, ut in bona causa uinci mallet, quàm inflictam iniuriam malo more superare. His artibus atque adeo his moribus adoleuit cunctis mortalibus gratus, atque placens, sed ut ad studia literarum unde digressus sum reuertar, quum aliis per se satis onerosa iuris ciuilis scientia uideatur, ut quæ uariè & fusè descripta plurimis uoluminibus contineatur, ipse etiam ad alias artes diuertere uoluit, non quo iuris ciuilis disciplina quicquam iudicaret præstantius, sed quemadmodum inueniuntur nonnulli prudentes & ingeniosi uiri, qui tametsi in nobilissima patria domicilium constituerint, ardent nihilominus externas inuisere regiones, & uariarum ritus gentium moresq; inspicere, ut sese

sese multo rerum usu instruant, idq; eorum propositum laudabile est. Sic Franciscus etsi plurimùm iuris scientiæ deferret, quam adolescentiæ suæ initiis imbiberat: attamen nactus ingenium multimodæ cognitionis capax, statuit prioribus literis non desertis in aliarum quoque artium interiora penetrare: idq; aptius fieri posse credidit, si literas Græcas attingeret. Occurrebat illud aliquando, quàm difficile esset literas Græcas perdiscere propter linguarum inter se differentium copiam, nec non multiplices casuum & temporum inflexiones nostris longè dispares, & quia hoc genus literarum non est uulgo satis notum, attamen non tardatus his ille neque territus, sese in mediam librorum Græcorum supellectilem dedit, ac tam ardenter diurna nocturnaq; manu uersari cœpit, ac si de illorum potu conceptam iam diu ui scenbus sitim restingueret. Nouerat enim quod omnium bene dictorum, beneq; factorum inuentrix semper habita fuisset & magistra Græcia. Siue enim quis Poetis, siue Oratoribus, siue Historicis, siue Philosophis, siue Mathematicis, siue Theologis, siue Medicis delectetur, inueniet Græcos in his summos extitisse, ita ut cæteris nihil penè fecerint reliqui. Scio equidem penes Latinos magnam esse huiusmodi artificum copiam, sed & illud quoque scio istos ab illis mutuatos, & ualdè refert utrum quis de riuulis, an de ipsis bibat fontibus. Certè Græci ut tempore, ita & scientia priores, quod ex ipsis auctorum nominibus colligere licet. Habet nanque Græcia, Homerum, Hesiodum, Demosthenem, Isocratem, Thucydidem, Herodotum, Platonem, Aristotelem, Euclidem, Ptolomæum, Origenem, Hippocratem, Galenum, hi (ut reliquos præteream) qui & quanti uiri fuere? quos habemus alios, qui in eorum artibus anteferendi uideantur? Hæc causa Francisco fuit literas Græcas percipiendi, ut talium uirorum ingenio & sapientia, quantum per ætatem & ocium fieri posset, frueretur. Ita autem linguam eam perdidicerat, ut certare de eius laude cum peritissimis quibusque putaretur, nec tamen uerè cum ullo unquam certauit, certare tamen poterat si placuisset. Interea decennium effluxerat, quo aberat domo Franciscus istorum studiorum gratia, quo tempore suis illum reuocantibus Iurisconsulti insignibus & honore ornatus est, diutinæ illius peregrinationis honestissimum fructum consequutus. At domum, ut reuenit, ociosè uixit, nihil uero minus. Nam statim magistratus sibi gerendos putauit, idemq; amici suadebant, nolentes tantam ingenii uim obtorpescere. Ergo Cherii primùm, deinde Papiæ eum magistratum cœpit, quo ius ciuibus dici solet. Vterque autem florentissimus locus, nec remotissimus. Ex iis autem magistratibus non maiorem honorem capiebat, quàm illis reddebat, quin dum priores administrat, semper amplioribus dignus putabatur, nec mirùm, quum omni ratione Iudiciorum aditus clausos obstructosq; teneret, ne illo intrare improbitas, ne pecunia obrepere, ne qua improbi fauoris aura aspirare posset. Tantus in adolescente pudor & ea mentis fuit indoles, ut se in bonis causis orari non cuperet, in malis exorari non fineret, non ille captiosum ius ut multi, sed rectissimum iustitiæ callem sequebatur, & ad æquitatis regulam iudicium arbitriumq; suum dirigebat. Ad hæc diligentia adhibebatur in decernendo, grauitas, constantia, facilitas etiam in audiendo, quibus artibus effece-

effecerat, ut quum nihil gratiæ causa faceret, grata tamen omnia, quæ facere habentur. Me miserum, quod hæc illi ultima mortalium operum fuere. Sentio nunc interruptam Orationem meam, uel potius cursum tantæ uirtutis fato interceptum: Iam enim uel illum Italiæ gymnasia in magistrum expostulassent, in quibus, quæ hauserat, ditiore uena refudisset, uel in Senatorem sibi patria cooptasset, quæ clarissimum ingenii lumen, summam animi æquitatem egregias pectoris dotes experta fuisset, cœpisset denique honores lectissimos, non ut fortunæ munem, sed ut uirtutum suarum præmia neque tam ille per honores tunc fœlix, quàm honores per illum fœlices fuissent, sed suprema dies anteuertit. Ille ille inquam perhumanus & egregius adolescens rectissimæ spei columen, ingens patriæ uenturum decus repente sublatus est, & in lumine annorum suorum ante ætatis uesperam in tenebras incidit mortis formidolosas. Heu, quantum ad perniciem uales immatura mors. Tu uirtutum tantarum succidere incrementa ualuisti. Tu huius Natæ dignitatem dilatari, atque exaugeri, tu ipsius laudem & nomen in ore crebrescere populorum noluisti. Ostendis sola inexpectato surrepens diffundi sæpissimè frustra mortalium corda inanibus occupata uotis & falsis depasta cogitatibus. Non erat alius in ciuitate quisquam, qui æquè ad omnes honorum & dignitatum gradus peruenturus crederetur, nemo cui magis fauerent homines, quem magis cuperent extolli atque euehi, & ecce quàm breui omnia ad nihilum reciderunt. At qui tam iucundus esset alienis, carissimum suis extitisse credi potest, quod ipsum satis superq; declarat præsens luctus & mœror, quem intempestiui huius funeris fortuna atrocissimum concitauit. Iam primùm mater tanquam de cœlo tacta exanimis diu iacuit, ita ut eam sensus desereret, quæ ubi ad se rediit, inclamare nomen absentis filii & lacrymarum quasi riuulum ex oculis demittere. Nec mirùm, quia & mater est, & patris simillimo extincto filio se iterum uiduatam uiro arbitratur. Hi duo germani Francisci fratres, qui lacrymantibus oculis humum defixi intuentur, quid aliud facere possunt, nisi mœrere & conqueri, quod fratre sublato uterque dimidia sui parte sit orbatus? Quid de me dicam, qui mœrore afflictus ac propè perditus sum, quique ob eam causam lugentis melius munus, quàm Orantis explessem? Quid reliqua hæc turba sordidatorum, quibus cum affinitas & necessitudo aliqua nostra cum domo intercedit, qua affici ægritudine, quanto tabescere creditis mœrore? quorum partem uideatis præ mœstitia squalentia ora largiori cucullo obtexisse, pars autem ita pio in me spectat affectu, quasi auxilium implorans, ueluti ego possim defunctum excitare, decursamq; uitam resignare. Iam uero cæteri, quibus cum Franciscus amicitiam & familiaritatem instituerat, quis non illorum ipsius uitam magno redemptam uelit, cuius discessu dulcissimi ipsorum conuictus membra direpta arbitrantur. Sed quid ego hos uel illos appello? quum lacrymæ pietatis & beneuolentiæ testis iam ferè per omnium ora uoluantur: cuncti huius diei exitum & calamitatem animo auersantur. Quæ quum ita sint, ego tamen censeo animos uestros (ut initio orationis dixi) ab omni luctu & mœrore reuocandos. Solet trepidare Orator, ubi alieno tempore, iniquo Iudice, inuidioso crimine impetitum reum

 cogitur

cogitur defendere. Eadem mea causa est, nam tempore huius funeris oppugnor, quod luctui aptissimum est, & nemo ferè inuenitur, qui in dolore æquum se Iudicem præbeat. Magnum etiam & inuidiosum fortunæ crimen diluere oportet, quæ quum egregiam floris indolem in hoc adolescente nobis ostendisset, repente in ipsa fruge destituit. His ego irretitus sum nunc difficultatibus, quas tamen neutiquam perhorresco respiciens ad prudentiam roburq; animorum uestrorum. Nostis enim summum & Omnipotentem Deum uitam hominibus contulisse tam diu mansuram, quàm uellet ipse, qui dedit: In eo igitur est quandocunque liberit muneris gratiam soluere: quamobrem si repetit ab adolescente uitæ munus, quod concessit, æquo animo ferendum est. Sin à paruulo puero, uel in cunis etiam uagiente, ne querelæ quidem iustè locus, quoniam reuocare quandocunque potest, nec iustum hic alia ratione determinatur, nisi sola concedentis uoluntate. Raptus est filius, aut frater, aut amicus, durum id quidem, sed tolerabile, quia is abstulit, qui dederat, & quod ille ita uiuebat, ut aliquando eius uita soluenda esset & incertum, quo die. Quod si magnipendere uoluerimus humanæ uitæ longitudinem, quæ tandem ea est longitudo? Quid enim sunt septuaginta aut octoginta anni, si reliquo æui spacio comparentur? Nonne illa priora ætatum spacia statim auolant, & aduenit senectus tam celeri cursu, uix ut intelligatur: efficit breue uitæ curriculum, ut non possit is, qui in morte antecessit, multum temporis amittere, nec qui à tergo in cursu relictus est, sibi promittere, sed ut sit quædam humanæ uitæ longitudo, quoniam id omne longum uideri potest, quod breuiori alteri confertur, hanc qualiscunque sit ea, assequi, nullo modo præclarum esse potest. Illud enim uerè præclarum uirtute præcellere: Non enim longitudo uitæ laudem affert, sed studia literarum, & disciplinæ, & honestissima consilia, morum grauitas, & pietas, & reliqua, quæ sunt in uirtutis partibus. Quod si non longitudinem uitæ assequutus est Franciscus, at aliud tenuit, quod longè magnificentius est & ornatius, quod nam hoc? quod dignus habitus est, qui plura uideret secula & Nestoreos exuperaret annos, hoc ipsum superat uitæ longitudinem, uita longissima dignum existimari, nam longitudo uitæ coruis etiam & cornicibus contingit: quæ productior est quoque in illis, quàm in ullis hominibus, sed non tam pretiosa uita, quàm sapientia ipsa, quæ in uita solis hominibus contingit: hanc, qui assequutus est, diu uixit, quia id assequutus est propter quod uiuendum erat. Quamobrem non immaturus ætate iste discessit, cui consiliorum affuit senectus. Sed forsitan conqueretur aliquis non tam de celeritate mortis, quàm quod mortuus est, existimans uidelicet magnum esse in morte malum, quæ sententia, si uera esset, efficeret, ut non mortui tantum, sed uiuentes quoque omnes essent miseri, quoniam quod malum alteris contigisset, alteris iam esset paratum. Moriendum est enim omnibus. Tantum autem abest in morte fore miseriam sempiternam cuncto humano generi, ut audeam dicere fœliciores nos esse, quum morimur, quàm quum nascimur (de his loquor, qui Christiano more uitã exigunt) nec tamen ita loquerer, nisi firmissima ratio id mihi commonstraret. Nam dies ille primus uitæ huius transmittit ad labores & quodammo-

do

do ad militiam quandam, hic supremus ad requiem & triumphum: Ergo quantum distat requies à labore, militia à triumpho, tanto supremus dies primo melior, occidimus seculo, at nascimur cœlo, nam si nasci est, ex angusto & tenebroso utero in amplam & lucidam exire regionem, hoc fit, quoties nos iam diù in tenebris & angustiis uitæ huius uersari, & tanquam utero mundi quodam inclusi in amplissimam illam & capacissimam multoque sole fulgentissimam cœlestem regionem euadimus, quæ uerè patria nostra est, è qua dilapsi sumus, & in quam reuertendum; id quod etiam Ecclesiæ celebris indicat consuetudo, quæ diem festum agit, non quo quisque sanctorum mundo illatus, sed quo corporeum hoc inuolucrum, disiectum in terris relinquentes, ipsi cum animo puro ad superna peruolarunt. Sic dicitur natalis illorum coli, quum mortalis illis occidit uita, & immortalis alte ra gaudiis uoluptatibusq; omnibus refertissima effulsit. Eadem licet de singulis Christi cultoribus dicere, qui modo piè, castè, integrè, fideliterq; uixerint, nam mors ipsa, quæ sæua nimis & contumeliosa uideri solet, hoc tantum terrenum corpus sui iuris facit, animos Omnipotentis Dei manu creatos non attingit. Illi uerò è miserando carnis ergastulo lapsi, ubi nulla contagione corporis fuerint fœdati, auolant ad superna, & in sedes se recipiunt beatorum, ubi immenso uitæ lumine collustrantur, & pleno uoluptatis haustu saturantur. Ego quum Francisci pietatem, humanitatem, fidem, religionem, caritatem cogito, quum recordor honestam in uita mansionem, piumq; ab ea discessum, sacramentis omnibus diuinis uallatum, animum eius in cœlum, unde erat profectus, rediisse mihi persuadeo, seu mox redditurum, ubi quicquid terrenæ sordis è corporis domicilio exeunti inhæserat, purgatoriis ignibus eiecerit atque delerit, ut æquum sit in tanta amici lætitia, seu spe mœrorem temperare, quem desiderium absentis incussit. Nulla uirtutum eius debet esse deploratio, quæ non amissæ sunt, sed ad præmia dimissæ, quæ nos potius admonent illum, dum nobiscum ageret, cœlestem magis, quàm terrenum fuisse, ideò iure illuc repetitum. Nobilitas generis, diuitiæ, honores, magistratus, uenustas oris, pedum uelocitas, lacertorum uires non prosequuntur hinc discedentem: caduca sunt hæc & fluxa bona: solus manet uirtutum ornatus, qui in homine potior est, & homini magis propius: uiget hic post mortem, quia non est corporis res, sed animæ, ideò simul cum animo de corpore, abit, non obit cum corpore. Ergo quum hoc immortali uirtutum ornamento rapietur iste ad Deum, de que beatissimo illo uoluptatum omnium torrente potabit. Bonus est Deus, & omnia, quæ bonus facit, bona sint, necesse est. Non expediebat huic forsitan uiuere longius, ideò eum abstulit, ne in tanto seculi luxu mores mutaret. Demùm abstulit non ut mortuum, sed ut gloriosè uicturum. Quid ergo facimus ipsi? quid insanire iuuat? qui lacrymas huic iuueni demus quasi extincto. Extinctos arbitrandum est esse eos, qui ab ipso auersi sunt Deo perenni uitæ fonte, quorum animi inexpiabilibus obliti maculis sepulchro gehennæ premuntur sempiterno. At Franciscus noster, qui nunc trunco corporis immobilis uidetur, uiget, sentitque, & acutissimè idem per species occlusis his terrenis oculis, ubi curatam mentis aciem in diuini lumi

nis claritatem intendet. Nos uero æterna hæc & cœlestia, (quousq; enim erit humi defixa mens nostra?) spectare debemus. Nobis iucunda est hæc ratio non esse perpetuo lugendũ, qui æternæ morti subtractus in fulgentissima ac fœlicissima sede locandus, uero & summo bono quãdoq; perfruetur, & qui deinceps sanctissimæ Dei genitricis Mariæ & gloriosorũ Principum Petri & Pauli, Diui Euasii perpetui huius urbis protectoris, nec non reliquorum sanctorum florentissima societate gaudebit. Ex quo mihi uenit in mentem dicere, quod Franciscus, qui et si ut mortuus à nobis comploratut, potiore tamen parte sui, ut ante dixi, uiget, si aliqua ratione ab his oris, ad quas profectus est, remeare huc posset, mœrorem hunc, siue à natura inustum, siue uoluntate susceptum, abiici ac tolli iuberet, & ad se nihil ostenderet pertinere, ac placidissimæ ac tranquillissimæ pacis sedes foret parata. Et fortasse si illius immortalis uitæ conditio fineret, qua humanitate fuit, has lacrymas nostras uelut irritas & ingratas lacrymis aliis defleret. Cogitate insuper, atque animis uestris parumper conuoluite Carolum Cæsarem, Franciscum Galliæ Regem inter se acerrimè dissidere, quotum unus Insubrium dominatum uendicare, alter summa ope retinere studet. Non iure aut legibus hæc contentio diiudicabitur, sed pro iure & legibus, & ferrum pro se uterque, & equos, & uexilla, & tubas, & tormenta, & humana habebit corpora ad dimicandum expedita. Itaq; congredientur, & gladii, qui nunc uagina tecti circumuolitant, nudabuntur, bellaq; erumpent, quæ nunc in operto tumescunt. Quæ tunc cædes futuræ? qui modus erit fundendi cruoris? quanta deinde labes impendet populis? quàm immensi barbaris militibus quæstus constituentur? spes rapinarum, populationum incendet exteratum nationum animos, & strage uastitateq; cuncta implebit. Video iam uidere hanc oram fractam & conquassatam bellorum incursu: diripi omnia, trahi, lacerari. Ad omnem fortunæ contumeliam, ad omnem martis impetum expositi uariis casibus ictibusq; repetemur. Vtinam fallar, sed ea tempora impendere uidentur, ut qui fato præuentus hæc reliquerit, non omnino captus aut illusus uideri possit. Quo si suo & opportuno tempore raptum credideritis adolescentem, leuatos uos magna luctus parte arbitrabor, præsertim quum suppetant exempla multorum, qui carissimorum interitum placidè tulerunt, quum euenta humana omnia animo suo ducerent inferiora. Legi de quodam Romano, qui consulari fungebatur imperio, quod quum gnatum unicum amisisset, eiusq; cadauer iuxta ritum ueterem concremasset, adeò infracto fuisse animo, ut statim à rogo iuuenis curiam peteret, & Senatum cuiusdam legis ferendæ causa euocaret. Syracusanus Dio, uir amplissimis opibus, amplissimo genere, & pacis belliq; artibus clarissimus, quum amicos in consilium aduocasset, & cum eis non nulla deliberaret de rep. mox subito tumultu in ædibus coborto seruis trepidantibus sciscitatus quid rei esset, didicisset filium de tecti fastigio improuidè lapsum uitam confregisse, usque eo commotus est, ut exanimum corpus legitimo sepulchro mandaret tradi. Ipse nihilominus, quæ tractabat antea cum amicis & consiberabat, sicut instituerat, peregit. Accusasset alius fatum, se miserum clamitasset, conquestus fuisset naturæ uices inuersu, quod filio pater, iuueni

iuueni senex superesset. Hi planè uiri duo, quos commemoraui, ut creare liberos, ita & amittere naturale ducebant, nec in malorum parte mortem, sed in necessariorum numero ponebant. M. Crassus: (hic enim Romanorũ fuit potentissimus) Parthico bello, quum filii caput interfecti pilo præfixum conspiceret, quod hostes Ludibrii & territandi causa ostentabant, non con spectum illum ueritus cunctos ordines obequitabat milites ad pugnam acuens, & clamans illud sibi uni priuatim partum malum: cæterum publicã salutem, quam respicere deberent, in militum dextra ac uirtute uersari. Quod igitur ille in filio crudelissimè interfecto, hostibus calamitatem expro brantibus, & inter ipsa pericula præstitit, ne animo collaberetur, id nos & in ocio, & in propinquo, qui in lectulo suo decubuerit, & multis solantibus, nonne turpe erit non præstare? ne molli & effœminato animo luctum diutius sustineamus. At hæc & talia quædam carminibus & historiis mandantur, non solùm, ut oblectationis causa legamus, sed ubi res tulerit, imi temur. Itaque hoc mihi, hoc cæteris Francisci propinquis persuaserim, hoc eius amicis, ut animum erigentes obrui se ueluti doloris fluctu non patiantur, tristes curas & cogitationes repellant, non quod intercedendum putem defunctorum memoriæ, sed eam non muliebri fletu, non insano questu, sed pietate animi, sed frequenti uirtutum recordatione, sed perenni aliquo lau dum monumento celebrandam duco: corpus enim breui interit spacio. Forma autem mentis, & quæcunque de ea splendidè emanauerunt, uetustatem diutius ferre, & seram attingere posteritatem possunt. Quod si fortasse quispiam obiiciat diuinas literas, in quibus narratur in morte Iosephi, Mosis & fratris Aaronis, & demum Stephani primi Martyris magnum plan ctum factum fuisse, sciat Hieronymo auctore magnum illum planctum, non ad gemitum & lacrymas, sed ad pompam apparatumq; funeris & exequiarum frequentiam esse referendam: nefas enim uidebatur præstantes uiros & omni sanctitate summos in locum quietis translatos lugere. Non indignum tamen aliis honoribus eorum funera celebrare. Ego Francisce (te enim facio præsentem, & quanto possum studio compello) Ego (inquam) pro coniunctione sanguinis arctissima, pro amicitia nostra eximia, pro diutina uitæ consuetudine, non ueterum more pyramides struam altiores, easq; sepulchro tuo superimponam, non statuam erigam marmoream in tui nominis monumentum, non flores, non uiolas, non lugubris cupressi frondes tuo in spergam tumulo, sed te animo assiduè memoriaq; complectar. Vtinam tan tum sit mihi ingenii, quantum opto, tam alta facundia, quàm in plerisque ueterum fuit. Id si contigerit, te mea uox, te meæ literæ sonabunt, te ciues tui, te aduenæ, te uenturi nepotes, te uenientia secula memorabunt. Breue uitæ spatium longiore memoria donabitur. Quocunque sermonis mei mo numenta peruenerint, illic mitius fœlixq; spectabere. Est etiam pietatis Chri stianæ defunctorum animas orationibus ad Deum humillimè fusis crebrisq; ieiunus, nec non aliis sanctitatis operibus subleuare, ut si qui forsitan purgatoriis ignibus detineantur, illinc eruti Domino miserante celerius in cœleste domicilium recipiantur, Deumq; adipiscantur, illum iam reuelata facie intuentes, cuius mandatis, honori, dignitati, gloriæ, dum mortali hac

uita

uita tenetentur, potiſſimum ſtuduerunt. Hæc piorum ſunt ſunt uirorum, hæc magnorum animorum, nam quoad luctum attinet, uel non ſuſcipiendus, idque magnæ perfectæq; eſt uirtutis, uel exiguus interuenire debet. Demùm melius fuerit ſi ſepeliatur, & quaſi unà cum cadauere condatur. Cæterum uobis omnibus, qui hanc funebrem pompam inſigni frequentia comitatuq; cohoneſtaſtis, hi omnes, qui defuncto genere ſunt proximi, in primisq; Hieronymus & Albertus defuncti fratres immenſas habent gratias, ego etiam ago illorum nomine, qui etiam referent, nolo dicere quum poterunt prolixè & cumulatè, nam id fortaſſe nunquam poterunt, tanto ſe beneficio ueſtro affectos arbitrantur, ſed quum uos pro eximia ueſtra humanitate aliqua ex parte referre illos poſſe credetis: quinimo ne grauemini uos rogant quicquid illorum eſt, ſumere: ſuas enim opes, copias, facultates uobis deferunt & dicant: ueſtra ſunt omnia: illis poſthac tantum ipſi, quantum per uos licuerit, fruentur.

MARCI ANTONII

NATTAE ASTENSIS,

IN HIERONYMVM ADVRNVM FVNEBRIS LAVDATIO.

GRAVE fatum HIERONYMI ADVRNI, ingens luctus, magna miſeratio: Is enim quum principatum patriæ cœpiſſet nomini ſuo iam diu debitum. Italiæ cauſam agens publicam apud Venetos miſſu Cæſaris, in grauem morbum incidit, & ex eo in ipſa legatione extinctus eſt tertio & trigeſimo ætatis anno. Erat in homine egregius uitæ candor, quem non modo teterrimorum uitiorum labes aliqua infecerat, ſed ne ullus quidem nequitiæ neuus deturpauerat. Excellebat autem rebus, ut mihi uidetur, quatuor, ingenio ſcilicet, literis, uſu, eloquentia, ut quæ alii diſcerpta poſſident, ille ſibi collecta uendicaret. Magna ſemper quædam uoluebat pectore neſcius quietis, animum arcu quouis gerens intentiorem. Hinc apud Reges & Principes maximos in honore habitus, quum illis aſiſtens ſenilis ſapientiæ monita iuuenis funderet. Poſſum excitare teſtem Maximilianum Cæſarem, & qui poſt ſuffectus, quique hodie imperat Carolum, Leonem X. Pontificem Max. Ludouicum XII. Gallorum Regem, infinitosq; alios Principes, qui uirtutem hominis admirantes conſilia eiuſdem cæteris anteferebant. Quid bella commemorem? Quid geſta diuini pectoris? ſcribent multi, quibus curæ eſt hiſtoriam & horum temporum geſta literis mandare, ſcripſimus quandoque & nos in oratione quadam, ſed paucis, ueluti prætereuntes & aliud agentes. Nunc quoque, quæ per me dicuntur, teſtimonii breuitatem habent nudam, non

eximium

eximium aliquem laudationis ornatum, sed habent præclara scribentium ingenia, quid commendare, unde excurrere, & totos eloquentiæ neruos intendere possint. Illud breuissimè dixerim, & si plurimis accidit in ætatis suæ flore uel robore, ut magis fortuna abundarent, difficile tamen esset reperire, in quo tantus integritatis & innocentiæ fulgor, tanta uis mentis, ingenii, consilii elucerer. Dignus certè, qui nestoreos uideret annos, qui Cumanæ Sibyllæ secula uiuendo exæquaret, uel dignus saltem, qui hæc breuiora humanæ uitæ spana peragraret. At quàm uelox eius interitus? ingemiscunt ciues, patria afflictatur. Ego uix ferre possum multorum querelas quas audio, quibusq; intersum quotidie. Nunc nostrum (inquiunt) pectus ubertas doloris concutit, nunc possumus ex oculis fontem demittere lacrymarum. Heus excelsi & inuicti animi Hieronyme patriæ quondam summũ ornamentum, nunc etiã ingens luctus, heu heu: quàm serò redditus es ciuitati? quàm citò eriperis? O grauem euentus tui nuntium. O funestum illum & calamitosum diẽ, quo è patria decedentem, & ad Venetos tendentem frequentes prosequuti sumus. Siquidem in patriam rediturus non eras, quæ nã fortuna excipiet? qui nam casus tenebit? Nam quũ ausa est importuna mors florem annorum tuorũ excidere, indolem uirtutum tuarum pubescentiũ extinguere, eodem & nos fulmine afflati concidimus, & uix habemus miseri te sublato ubi lapsi subsistamus. Magna gesseras, sed lõgè maiora, qui te noramus amici expectare audebamus, tua in dubiis prudẽtia, in asperis fortitudo, in lætis modestatio effulsit. Nihil tam magnum aut arduum, quod non & consilio regere, & magnitudine animi sustinere, & diligentia conficere posses. Si tu uenis gesseras digna senio, ipsa senectus qualis & quanta fuisset? Nunc exanimis miserandè iaces, quodque in te fuerat lumen consilii atque ingenii id nobis obscuratum est, immensumq; illud multarum cogitationum pectus ciuibus tuis, imò omnibus ferè gentibus sublatum atque deletum. Hæc & talia quædam multo cum gemitu & lacrymis uociferantur. Quæ & si miseramihi quoque uideantur, ingentique luctu digna (ego enim clarissimum Principem ualde dilexi propinquum meum) attamen ubi aduentans ratio affectus mentis nimis perturbatos sibi cedere coegit, uideo effigiem huius mali ueluti fallaci speculo exceptam in maius augeri, nec considerati esse hominis statuo irrita quædam & ingrata uolentem dolori indulgere, & quum nihil proficiat, tabescere diutino animi mœrore. Nam & si discessu talis ac tanti uiri magna aliquando nobis utilitate carendum sit, incommodum tamen hoc nostrum modicè feramus, ne nos nimis adamare uideamur, præsertim, quum ad communem salutem dignitatemq; obtinendam alia præsidia non desint. Ipsum uero Hieronymum, cur molestè feramus è multis laboribus & molestiis ad requiem lasso gratam peruenisse? Consequutus est uiuens honores magnos illos quidem, sed tamen multis acerbitatibus molestiisq; permixtos. Nunc eam fœlicitatem susceperat, ut sibi uigilandum plurimùm & laborandum putaret, quo susceptam dignitatem munusq; Principis rectissimè tueri posset. Quid? quod fortuna, & si uirtutem uiri infringere non posset, attamen eius muneta auferre, hominemq; ex isto secundarum rerum cursu excutere poterat, ac ne id quidem paulatim, sed uno im-

petu

petu si uellet? Nam sæpius inter optimam pessimamq; sortem ne totus quidem intercessit dies, adeo quod optimum uidebatur, retrocessit præcipiti gradu. Hæc ille satis abundèq; nouerat, non exemplis aliorum, sed factus ipse exemplum aliis, ut qui sæuientem quandoque perpessus fuerit hanc mortalium rerum dominam, quæ ut è tristi in lætum se uerterat habitum, ita è læto poterat in tristem, & eo facilius, quod pronior est uia ad peiora, & ad eum non irent iam tristia, sed redirent. Quod si omnia succederent, non sunt aliquando maiora præmia, quæ petuntur, quàm labores, qui pro his suscipiendis sustinentur. Intellexi autem & ex fratre, & à cæteris, qui affuerunt, illum magno constantiq; animo hunc ultimum eius casum excepisse. Non igitur miserè mortuus est, imò ne mortuus quidem, si ad Deum, cui se crediderat, alacriter prouolauit. Enimuero elegans uir probisq, ac piis inclitus moribus non minus placidè ex hac uita in aliam, quã expectat transilit, quàm si de uia in uiam transiliendum esset, uel potius ac si de taberna-culo in ornatissimam domum, uel de rure in splendidissimam ciuitatem illi migrare necesse foret. Longè enim melior illa æterna est statio, quàm hæc temporaria, quæ nunc obtigit. Adde quod summus rerum omnium Imperator & Dominus illuc ad se uocat. Quis autem seruus probus uocante ipsum Domino non lætus accurrat? Scimus plerosque seculares sapientiæ uiros tanquam miseriarum portum sæpius expetiuisse mortem, ne dum Christianus homo in lectulo iacens aduentantem incusaret, quam Christus splẽdor & figura patris omnia uerbo portans in ligno crucis excepit. At in uiridi ætate subtractus. Sed quæ ætas non apta mortis rapinæ? alii in cunis uagientes uix bene uitam ingressi abolentur, alii etiam durius in alui materni latebris inter artifices naturæ fingentis manus extinguuntur. Quid mirandũ igitur si nostrorum aliquis occiderit in iuuentute, antequam grauis & dura obrepat senectus? Sed cur in Hieronymo annos magis, quàm gesta numeramus? cur ætatis potius, quàm uirtutis progressus inspicimus? Nemo parum uixit, qui perfecto absolutoq; uirtutum functus est munere. Illa pluris est uita, non quæ diuturnior, sed quæ aptior, & quæ magis officiosè transacta est. Quæro enim si aliquis agrum colono fruendum concesserit præcario, ille autem ex ubertate & luxuriæ segetum ad maximam pecuniam paucis annis peruenerit, nonne iniustè faciat si deinceps sibi fundum à domino ablatum queratur? & eo iniustius, quo ditior effectus est, quum in facultate Domini positum esset præcarium quandocunque reuocare. Similiter & nos faciemus, si Hieronymum tam citò raptum quetamur, quum & ante rapi potuerit à Deo, & de uita deponi, quam utendam arbitrio dantis acceperat, & tamen non prius raptus, quàm ubi plurimis meritis seculum impleflet, nam qua in ætate cæteri pulchrè agere incipiunt, hic in ea pulcherrimè terminauit, & hoc ipsum potuit esse indicium imminentis exitus, quod ad summam peruenerat ingenii, gloriæ, uirtutumq; cunctarum. Veniat mo do in mentem, quæ sit sapientis uiri conditio, quantaq; uirtus. Ille ignominiam, exilium, paupertatem, dolores demùm cruciatusq; corporis æquo animo tolerabit. Considerat nanque hæc fato fieri, & conditione rerum nos circumstantium contingere, ideo nos ea quo trahunt retrahuntq; sequi oportere.

portere. Num hæc ille uoluisset? Forsitan noluisset. Veruntamen quando accidunt uirtutem his opponit, turpè putat cedere, & ob aduentitia illa incommoda magnitudinem animi sui inflectere. Ex his autem nihil minus mo lestè ferr, quàm mortem suam, aut suorum: Nam cætera corporis uel fortunæ mala uider sæpius hominum iniuria & importunitate contingere. Mors autem homini quodammodo debetur: Homo enim non à se ipso pro ductus meritò corrumpitur, quin quum ex aliorum corruptione processerit uicissim in aliorum usum ipse corruptione sua cedere debet. Ergo ei sic se habenti interitus nihil affert iniquum, qui tamen tantum sequitur unde est animal, non unde uiget animus rationis compos: Nam hic superest non ex elementis compositus, sed à Deo conditus admirabili simplicitate, & ad Deum reditutus, si congrua fulserit pietate. Quapropter rectè se habet illud Lucretianum.

Cedit item retro de terra, quod fuit ante
In terras, & quod missum est ex ætheris oris,
Id rursum cœli fulgentia templa receptant.

Quod si post fata credimus esse supremæ fœlicitatis locum piis & religiosis hominibus, qui uixerint ut morituri, & ut immortales futuri mortui sunt. Ego clarissime Princeps quando uno te nec sanctior, nec grauior, nec tempe ranor extitit quisquam, fœliciter recum actum esse arbitror. Nunc enim (ut opinio mea fert) inter sanctissimos Angelorum choros positus frueris pla cidissima pace, Deo redditus, cuius probum signum fuisti. Nunc clarissimo in die in unicum solis illius defixus iubar, perfectissimè uides, quæ antea sub obscura uitæ huius nocte uariis rationum scintillulis effultus conabere potius uidere, quas uidebas. Ar non modo studiis indagata nostris, sed & ea, quæ supra nos sunt omnibus potiora rebus perspicere te lætaris. In cœlum attractus es, ut cœlestia illa contemplere, & unà cum Deo esses, à quo defluxisti, & quem potissimum sequebare. Maximo nunc & clarissimo exardescis amore summi illius boni, quod tenes, solitus & antea affectus quoscunque aliarum rerum contemnere & pro nihilo ducere. O te (inquam) fœlicem Hieronyme, qui illud tenes iam bonum, à quo omnia pen dent, & quod omnia appetunt, accipientia ab ipso principium, eiusq; peni tus indiga, ipsum autem nullius egenum. Bonum sibi sufficiens, nihil ab alio accipiens. Bonum saturans habentem, & in ipsa saturitate adhuc desideratum. Bonum denique supremum, immensum, absolutum, nullo malo contaminatum, ineffabile, incogitabile, admirabile, continens omne oblectamenrum, omnem suauitatem. Huius tu tanti boni fruitione nunc exultas, ad quod suspicimus ipsi & suspiramus. Prospicis inde quandoque mortalia, terrasq; penitus iacentes contemplaris. Spectas patriam, quam tuis uirtutibus florenrem reliquisti: pro qua ueluti legatione iam fungeris ad deprecandum iram cœlestis numinis, peccatis nostris (nimirum) debitã. Memoria tui nominis inter mortales diutius florebit tum præstantia factorum tuorum, tum multorum literis posteritati mandata. Non insanos questus, non muliebres lacrymas, non inanem lamentationem, sed cogitationes requiris nostras, quibus absentem crebro intueamur, & fortua recen-

 sendo

ſendo facta æmulemur. Neque enim dum hic ageres, de mortali corpore, ſed de immortalibus animi uirtutibus ſpectari cupiebas. Neque ego te nũc deflebo in terris amiſſum, ſed ut ad olimpi beatas ſedes præmiſſum uenerabor, nec terrenum amplius, ſed ut cœleſtem iam effectum requiram. Mihi nunc nouus cœli factus incola fulgidior es iſto ſole, quem ſpecto, & noctu meminero tuis ſanctis ueſtigiis errantia ſidera calcari. Dum animus hic tuus corpore detinebatur terreno, ueluti auis cauea incluſa extra ſemper proſpectans, hinc euadere & ad ſuperna ferri cupiebas, hoc uere aſſequutus es: nec tu nunc humi iaces, ſed id quod quandoque fuit tuum. Hic nulla aut exigua uirtuti ſunt præmia, eademq; nutantia, ideò iure eo es reuocatus, ubi uirtus immenſis & immortalibus donis decoratur. Hactenus de Hieronymo & cum Hieronymo, hominem diuinum cœlo redditum, qua poſſum fide & ueneratione complexus. Tu qui iſta legis, exemplar bene uiuendi inſigne, quod in præſtantiſſimo omnium uiro propoſitum fuit, da operam ut ſequaris. Memineris ita uitam traducere, ut ea per naturæ fatum breui extincta, ipſe immortalis ad ſuperos aſcendas, ipſe inter mortales diutius uirtutis laude uiuas. Vocat nos ad ſe patria antiqua cœlum, uocat cœleſtis pater Deus, cupit mundus fama uominis eſſe ſuperſtites. Hæc omnia & huius & multorum præſtantium uirorum exempla imitantes, (poſſumus enim ſi uolumus) fœliciter aſſequemur.

MARCI ANTONII
NATTAE ASTENSIS,
PRO SE ET FRATRIBVS, SEV PRO FAMILIARVM DIGNITATE, ORATIO.

PROOEMIVM.

OMNES artes, quæ ad humanarum mentium cultum inſtitutæ fuerunt, & cœcæ eſſe, & infirmæ, & latere quodammodo exiſtimantur, niſi dicendi robore firmentur, ac eloquentiæ ipſius fulgore illuſtrentur. Hinc perſpicuum eſt, qua ſapientia præditi fuerint ueteres illi, qui cuncta illuſtrioribus literis ſunt perſequuti, ut facilè appareat, quæcunque diuino ingenio excogitabant, non tam ſibi genuiſſe, quàm cæterorum hominum cauſa comparaſſe, quoniam ſermo non tam eius eſt, qui illum profert, quàm eorum, ad quos profertur, ſicut nec lux tam propter ſe lucet, quàm propter oculos, quos efficit uidentes, ergo artes illuſtrandæ ſermone, non propter ſe ipſas, ſed propter homines, quibus uſui fuerunt, & ſunt; atque ita rem habere liquebit omnino, ſi per ſingula excurrere uoluerimus. Inueniemus enim nihil tam rudè, tam ferum, tam agreſtè occurriſſe,

risse, quod delectu Orationis adhibito non enituerit, & artifici scribentium stylo non fuerit expolitum. Etenim Philosophia ipsa, quæ in naturæ inuestigatione totum ocium consumpsit, de naturalibus ipsis rebus perelegan-ter & cultè loquitur, eloquiumq; illud, quod à fonte naturæ manat, plurimum artis habet, quod contingit hominum Philosophorum diligentia, qui cuncta specie quadam in dicendo exornanda sibi & illuminanda putauerūt, quid horribilius morbis humana peruadentibus corpora? attamen eorum origines, initia, causas, progressus, uim, figuram, curationem, uetusti medicinæ auctores tam apertè tamq; splendidè descripserunt, ut appareat auxilium eius artis ab his natum, qui quæcunque scire ipsos contingit, alios facillimè poterant edocere, demum uidemus ipsos ad pellandas morborum hostiles acies non consilio tantum & ingenio, sed eloquio quoque ipso, lin guaq; ualuisse. Ius ciuile nostrum, quod contractus hominum, testamenta, iudicia, reliquasq; ferè omnes ciuiles actiones complectitur, qua senten tiarum grauitate, qua sermonis elegantia à ueteribus Iurisconsultis traditū fuit? ut quicunque aspexerit, uerè illud scribendi genus mediis in urbibus natum putet. At Dialectice, quæ astricta eloquentia existimatur quomodo eloquentiæ ipsius uiribus ac neruis carebit? Quid de religionis nostræ institutis dicam? Nonne Ecclesiæ Doctores, quorum mores habentur sanctiores, in singulis grauiorum rerum tractatibus, clarissimum sonum uisi sunt fundere? Est ne aliquid, quod magnificentius dicatur, aut sublimius, quàm quod illi de trinitatis indiuidua substantia, de uerbi incarnatione, de crucis ara, de Hierosolyma cœlesti, de uitæ æternæ præmiis, de purgatoriis, de inferorum pœnis pronuntiarunt? Quis illorum legens orationem sonantibus uerbis, uberibus affluentem sententiis non uideatur sibi relictis terrestribus ad diuina transuolare? quis non intelligit illos uiros de rebus cœlestibus cœleste quiddam cecinisse? & materiam illam sublimem dicendo ferè æquasse? Quod si in quibusdam, quæ aut re ipsa obscuriora sunt, aut sponte sua squallidiora, eloquentiæ uis minor uidetur, nullam uerò esse quomodo defendetur? Quis porrò auderet ea in re uerbum facere, in qua eloquentia ipsa obmutesceret? Mea quidem sententia, ubi loquendum sit, ibi ex arte loquendum statuo, ne quicquid in mentem uenit, id temere, fortuito, discerptè, nullo ordine, nullo lepore, nulla adhibita distinctione effundatur, ut uulgus imperitorum solet: Omnia certa quadam ratione dicen da sunt, quam suggerit prudentia, sine qua nemo eloquentiam assequitur, quum instrumentum prudentiæ sit eloquentia, nam is optimè de re dicit, qui eam optimè nouit. Si quis autem optimè rem tenens, de ea nequeat optimè dicere, huic non gloriandum, sed dolendum, quod egregio caret instrumento, quo res optimè doceri possit. Hic tamen plerisq; gratus erit pro pter notitiam rerum, tametsi aptè nequeat eas explicare. Alter uero huic contrarius, qui parum prudens in rebus affert cursum uerborum ornatissimorum, abiicietur, nullo eloquentiæ detrimento: non enim ea est eloquen tia, sed loquacitas, non placet uerborum fulgor, nisi subsit res studio & co gnitione digna liberali, nisi crebræ, graues, acutæq; sententiæ uoluantur. Nemo sapiens auditor dicentis magis linguam, quàm pectus miratur. Ne-

mo loquutionem ipsam potius quàm loquutionis uim sensumq; consideret. Ea demùm eloquentia probatur, cuius uerba lucem rebus & uenustatem, res pondus uerbis afferunt & dignitatem. Sunt autem quidam, qui eloquentiæ insensi tantum illam ad delicatarum aurium lenocinium ualere putant: Ii quum in artibus suis sermonem habebunt, uix intelligentur, & sibi ipsis quodammodo obstrepent in dicendo. Nempe illud ab iisdem magna corporis iactatione profertur, melius esse ueriores audire sermones, quàm ornatiores. Sicut opus magis fuerit ueridico amico, quàm formoso, dicitur rectè id quidem, sed ad rem parum aptè. Non enim quæritur num nuda & deornata ueritas proponenda sit compto fucatoq; mendacio (quis enim præponendam negarit?) sed illud, quantum ad ueritatem illustrandam, patefaciendam eloquentia ualeat: de hoc enim agebatur, ego plurimùm ualere arbitror, nec inanem & uanum eloquentiæ ornatum puto, qualis est forma amici, sed quomodo sol formæ suæ speculo non solùm cœli maximum decus, sed & fons idem est caloris & rerum omnium patefactor & illustrator. Sic eloquentiæ uis, quæ ad ornandum sermonem adhiberi tantum uidetur, aperiendis calefaciendisq; hominum auribus aptissima est. Sed fac ornatum solùm requiri, tamen iustissima hæc esset causa eloquentiam persequendi, nam ut reuertamur ad illam amici similitudinem, nemo est, ut cætera non differant, quin malit amicum elegantem habere, urbanum, uenustum, quã eundem contrariis uitiis deformatum, nam insignis corporis pulchritudo, ipsam etiam uirtutem efficit gratiosiorem, quin illud perspicuum est augeri mulieris pulchræ corpoream pulchritudinem margaritis & gemmis loco positis, sic ad ueritatem rem omnium pulcherrimam & elegantissimam, ubi explicanda fuerit sermone, conuenit ornamenta adhiberi uerborum, quo melius ostendatur, & iucundius spectetur, ostendere autem eam malè uestitam & curatam pauperis est ingenii uel illiberalis. Inspiciamus parumper naturam rerum omnium parentem, quæ quicquid genuit, non animatum modo, sed etiam inanimatum, hoc utile pariter uoluit esse & ornatum. Vertamus (si placet) oculos ad lilia, uiolas, rosas, quæ tellus nobis uerna fundit temperie. Vtilia sunt hæc, non inficior: Sed præter utilitatem, quæ in his floribus formæ gratia? quantus nitor? quàm admirabilis color? quis prætera non perspicit in animalibus singula membra ita formata fuisse, ut non modo ad usum sint apta, uerùm etiam ad aspectum decora. Tantum abest ut in eis natura ornatum neglexerit, ut in quibusdam nimis lasciuisse uideatur, uelutì in Pauonis cauda, & in Pantheræ & Tigridis tergore, in Psittaci ceruice, in Galli crista, in Equi Leonisque iuba, in Virorum barba atque mammis. Hanc tantam naturæ solertiam imitata in artibus hominum industria. Vix reperietur artifex, qui non cupiat opus suum, quantum datur, exornare: quid enim sibi uolunt in ædibus signa, picturæ, columnæ marmoreæ, pauimenta uermiculata, quid in uestibus limbus, auri, purpurææque textura, quid in annulis lapilli, quid plura alia alias in rebus, quæ sibi homines ornamenti tantum gratia inuenere? Denique siue naturam rerum siue artificia hominum spectemus, constabit magnam semper ornatus habitam rationem, & ea digniora extimari, quæ ornatiora. Veteres sapientes

tes crediderunt, nihil in mundo inueniri, quod non pro modulo suæ formæ diligenter sit excultum, quin ipsum mundum apparet à nostris à perfecta absolutaque munditiæ appellatum, aptius adhuc Græci, qui ab ornamenti nomine Cosmon uocauerunt. Quum uero eloquutio sit in homine admodum pretiosa, ut qua maximè à beluis distemus, cur hanc unam uolumus esse inornaram? & non gaudemus potius, ubi eam & uerbis splendidam, & sententiis grauem, & figuris dicendi sublimem uariamque conspicimus? Et hos quidem, quos ornata offendit eloquutio, his & talibus refello, quasi minus rectè sentiant. Neque uero regis illius prudentia summa existimanda est, qui interrogatus à quopiam familiari, num Achilles uel Homerus nasci maluisset, percunctatus est uicissim eum, num ipse in Olympiadis certamine uictorem se esse an uictoris præconem optaret. Dissimillima hæc sunt quidem, & claudicat exemplum. Nam præconium facere facillimum est, & ad id munus uocalissimus quisque optimus, neque desunt, qui operam strenuè impendant. At tale inflare carmen, quale Homerus potuit, & tanto ore bella canere quanto ille cecinit, paucis, aut etiam nulli concessum fuit, multorum ingeniis per tot secula studio æmulationis arrectis. Et Achilles quidem obliuione sepultus iacuisset, nisi eius famam Homerus cum sua in omne pene æuum propagasset, sed & quantum Achilles manu, tantum Homerus ingenio præstitit, pares igitur in diuerso uirtutis genere, sed uirtutis genus, quod in Homero refulsit, præstantius eo, quo Achilles illustratur: Hic enim nititur corporis bonis, ille animi, ex quo fit, ut tanto superior sit Achille Homerus, quanto animi bona sunt quã corporis meliora atque adeo utiliora & iucundiora, & ut de bonitate nihil dicam, sed de utilitate & iucunditate, perspicuum est utiliorem fuisse & iucundiorem humano generi Homeri eloquentiam, quàm Achillis fortitudinem. Sed eloquentiæ causam non est multis necesse rationibus tueri, ut quæ seipsam auctoritatibus, præiudiciisque magnorum uirorum defendat. Scimus enim quales homines & quanti hanc artem excoluisse, & quemadmodum in præcipuis omni tempore tetinuisse dicantur. Cæterum non deterritus ego prauo quotundam iudicio eloquentiæ studia damnantium, neque segnior factus aut languidior ob malam huiusce seculi consuetudinem, qua barbarico quodam & agresti sono cuncta enunciantur, ausus sum superioribus diebus causam domesticam longiori oratione componere, atque totam dicendo explicare. Et ne qua in re à ueterum Oratorum uestigiis deflecterem, rem perinde constitui, ac si medio in foro certandum fuisset cum aduersariis inter subsellia, & Iudices ipsi multiplici corona circunfusi dicentibus nobis astitissent. Notum est quemadmodum in rhetorũ scholis contrariæ pugnantesque inter se Orationes instituantur, dum alias scripti uim & robur, alias æqui bonique nomen ac dignitatem tuentur. Mihi uero contingit in eius causæ meditatione uersari, in qua possem pro meo iure utrique rei insisteos nunc scripto defensionem nostram firmare, nunc contra ad scribentium mentem, uoluntatemque reuocare. Quapropter intra oratoriam formulam optimè, includitur causæ huius dictio, quæ iridem propria Iurisconsultorum uidetur, dum in illo uersamur, quemadmodum uirile

uirile genus muliebre complectatur, dumque de lege municipali dicimus, quæ fœminas exrantibus masculis à parẽtum successione repellit. Hæc enim & reliqua, quæ in huius causæ uisceribus condita sunt, propria sunt & legitima curricula Iurisconsultorum, hæc inquam ipsa de medio iure ciuili eruũtur. Nego tamen quenquam Iurisconsultorum aut plura responsurum, aut meliora allaturum fuisse in huiusmodi controuersia, quoquo modo is dicat, & inconditè fundat, quam factum fuerit à nobis elegantiam sermonis dignitatemq; sectantibus, singulaq; librantibus, & ad certam loquutionis formam speciemq; dirigentibus. Volo enim intelligi ab omnibus & cognosci (quod si assequor, magnum laboris mei fructum fero) quàm aptè & ornatè possunt, quæ de iure consuluntur responderi, si modo huc incumbant homines atque ingenium operamq; intendant. Vt enim Philosophi, ubi exemplum proposuerunt alicuius, qui continuerit se à turpi uoluptate, uel exilium placidè tulerit, uel filii mortem imperturbate acceperit, putant eadem omnes præstare posse, si uelint suis in rebus, quod si non præstatur, colligunt illud opinionis esse non naturæ malum. Sic ego arbitror exemplo orationis huius proposito patefactum iri, omne controuersiæ genus posse ab aliis eodem aut etiam meliori modo explicari, idq; ubi deficit, contingere hominum signitie atque inertia, non quod ipsa rei natura repugnet: quanquam autem difficillimum sit ueteres æquare dicendo, tamen id nullius rardare debet studium, quominus quid facere possit experiatur, quum laudabile sit ad summam rendentem subsistere etiam inferiori gradu. Quis Philosophorum putat se Platoni, quis Aristoteli parem? non tamen ob id eorum languescit industria, sed urgent se ipsos assiduè, & in ipso Philosophiæ studio indies proficere conantur. Sic medicina quoque excolitur, quãuis Medicorum nemo audeat se æquare Hippocrati, uel eius prudentissimo copiosissimoq; interpreti Galeno, idem dictum sit de scientiis aliis pluribus, quæ hodie exercentur, licet penes ueteres fuerint meliores. Et ut ueniam ad leuiora, pingendi, & fingeudi ars magno est nunc in usu, omnia undique pictæ fictæq, tenent effigies: quod si quis recuset pingere uel effingere; nihil aliud afferens causæ, nisi quòd terreatur ab hoc opere ab eorum præstantiam, qui pictis uuis aues, & in ænea iuuenca taurum fefellerunt, non rectè sentire is putaretur. Vt enim summa illa & prima nemo queat præstare aut pauci, non ideo tamen detrectare debent cæteri, quin præstent mediocria, hoc habentis rationis, quod licet, quæ prima sunt in artibus, admirationi sint, attamen & quæ ab illis secunda sunt aut tertia, comprobantur. Hæc ad eloquentiam transfero, ut si non maximam illam & admirabilem dicendi uim & copiam assequi ualemus, uel quia minus magnarum artium uarietate instructi sumus, uel quia magnitudine ingenii deficimus, nõ ideo relinquenda eloquentia, sed id agendum, ut ad summos illos & primarios Oratores, quàm proximè accedamus, omniaq; elegantius & robustius tractemus, quàm seculi huius consuetudo ferat. Et cæteri quidem de se uiderint. Ego etsi me ueteribus minimè comparo, conor tamen pro uiribus eorum studium, diligentiam, industriam æmulari scribendo, & alias quidem alia scripsi: nunc domesticam controuersiam oratorio scripto com-

plexus

plexus sum, quam sequens alius seculi huius consuetudinem Iurisconsulti stylo subiecisset, sed ego eam sic explicaui, ut ostenderem omne causatum genus, quod in iure ciuili occurrit, admittere eundem loquutionis sonum, nec me aliquid, quod huic rei repugnet uidere. Et de causa quidem, qua præcipuè commotus sum, ut Orationem istam scriberem, hæc habeo dicere, alia etiam impulerunt quædam, quæ omitto, ne longius exordii huius producatur sermo, præsertim quum oratio ipsa nouum sibi aliud moliatur exordium, cui cedendum, & iam quicquid ferat, audiendum.

Si quispiam est omnino Iudices, qui susceptarum artium studia propin quorum commodis emolumentisque addixerit, quique omnes ingenii sui fructus cum illis communicare uelit, ille mihi esse uidebar, quod etiam usu euenire existimariq; cupiebam. Nunc uero grauiter & molestè fero, tale ani mi mei institutum perturbari, quum mihi pro me fratribusq; meis aduersus Henrietum Florium consobrinum nostrum dicendum sit, qui quum ad iudicium prouocasset, nec ad litem instituendam sanguinis coniunctionem im pedimento ullo sibi fore duxisset, necesse nobis fuit, nisi causam optimam prodere uoluissemus, pro dignitate nostra occurrere, & infectantem refuta re, præsertim quum cæteri propinqui, quorum eadem est causa, qui pari ratione agere ualerent, longè ipso ditiores ac potentiores ne uerbo quidem nobis sint molesti, quum iste quotidie accusare illos, castigare, incendere non desisteret, quorum pudor & modestia admonere uos potest Iudices Flo rium non ratione, non ullo bono iure nixum, sed præcipiti quadam & effræ nata cupiditate incitatum aduersus nos pugnare. Nihil enim tam perspicuũ est, quàm pecuniam hanc dotalem, cuius partem abradere conatur, totam esse nostram, siue aui, à quo defluxit uerba, seu mentem spectemus, siue adeò uttunque, quando ita conueniunt, ut nescias an uerba magis mentem illustrent, uel mens uerba ipsa confirmet. Itaque quum aduersus ista Florium dicentem audirem, conuersa esse omnia facilè intelligebam. Nam quum cæteri soleant oratione rem obscuram illustrare, ipse rem illustrem obscurare dicendo conatus est, sed fortasse gloriosum sibi putauit ingenii acumen, & eloquentiæ genus coram tot & talibus uiris ostentare. Ego au tem quum sperarem in isto controuersiæ genere minimè implicito non mul tum negocii & ponderis habiturum, attamen postquam in hunc ornatissimum bonorum uirorum conuentum processi, & uestra mihi Iudices dignitas effulsit, trepidare cœpi, tunc dicendi facultas uisa grauis, tunc crescere omnia, alioraq; & maiora fieri, quæ antea facilia explicatu & leuia putabã, ueritusq; sum, ne adolescentiæ temeritate impulsus plus oneris susceperim, quàm ferre possim, sed in hoc tamen timore meo solatur me non parum Iudices humanitas & prudentia uestra. Nam si qua in re defecero, ac minus perfectè dixero, prudentiæ uestræ erit supplere, humanitatis ignoscere: tali igitur fretus subsidio, aggrediar magno & soluto animo dicere, nec committam, quantum pro uiribus efficere potero, ut huic optimæ iustissimæq; causæ patroni ingenium defuisse dicatur, si modo ea benignitate eritis Iudi ces quam ostenditis, & qua reliqua attendere soletis. Constat nanque Be-

nedictum Rotarium, ut Leonoræ neptis dotem augeret, Henrico Nattæ uiro mille & quingentos aureos tradidiffe. Hanc pecuniam quum acciperet Henrietus ftipulatus eft, ut poft obitum fuum filiorum effet, qui de fe & Leonoræ corpore nafcerentur, natus eft mafculus. Is Secundinus eft pater nofter, fœminæ complures, in quibus Marcella mater tua. dubitatur quibus pecuniam iftam ftipulatus Henrietus fuerit. Tua intentio eft ut dicas ftipulatum filiabus, ut Marcella partem capiat. Noftra depulfio eft, ftipulatum filiis tantum, ut Secundinus totum accipiat. Venit ergo in contentionem an ftipulatio ftet pro filiis tantum, an etiam pro filiabus. Orta contro uerfia uos delecti, qui iudicaretis. Hic ego primùm illud admiror fumptos Iudices: quid enim opus eft? Cur his delectiffimis uiris hoc onus iudicandi imponimus? Nonne nos met ipfi Iudices effe poffumus? Sed ne nobis ali quid arrogemus, habeamus Iudicem Henrietum ipfum: quem enim commodiorem fumere poffumus, quàm auum communem? quem peritiorem, quàm eum, qui hæc conftituit & geffit? Ille enim ut tabulæ declarant, ait fe ftipulatum filiis. Hic dum dictum eft filiis, filii mafculi uocati cenfentur, prout ipfius uocabuli indicat fonus, quid hoc ad te? uel ad matrem potius tuam, pro qua agis? Eft ne huiufmodi mater tua, quæ mafcula dici debeat? Ex antiquis opinor Amazonibus, quæ folebant bellatrices exerta mamma uiris concurrere. At ex Henrieto genita, quis negat? hoc enim ad commemorandam cognationem pertinet, et fi id ueftrum eft promeritum, ut id iure negate poffimus. Multa enim non fatis amice tentaftis cum alienigenis, ut de quibufdam prædiis ueftro nomine dimoueremur, quæ poftquam parum fuccefferunt, ueftra fponte in nos impetum feciftis. At uellet ut filia portionem huius pecuniæ fumere, curet aliud, nam quod uult non licet. Licet inquit: nam filiorum appellatione filiæ pariter continentur. Ingeniosè omnino Florius nofter Iudices, cui quum res non fuppeteret, uerba uerfare cœpit, nam quum ftipulatio fit de filiis, ait dictum de filiabus, quid eft hoc? aut enim etto & latinè docendus fum, aut diuerfitas fexus differentiã generis conftituit. Sed neque ego etro, neque Terentianus ille Chremes, qui ualdè intereffe putat, an gnatus amico operam det, uel amicæ. Incolis Flori id oppidum, quo muliones mercimonii caufa ultro citroq; commeant. Si ab aliquo, qui mulos & mulas habetet, mulos emiffes, an mulas quoque emptas diceres, nec infpiceres quantum pecuniæ erogaffes, fed quid fub tuo illo uerbo latere fenfiffes. Age, quoniam de ftipulatione loquimur, fi ftipulatus effes de Titio Domino omnes feruos eius, is quoque ancillas haberet, num etiam ancillas deberi tibi diceres? efto, dixetis, appellaueris quoque hominem de tradendis ancillis, & quum fuadere non poffes, ut traderet, in iudicium eo nomine uocaueris, quid futurum putas? Mitabitur primùm ipfe Titius, & quæret utrum ulla Iudicum fententia effici poffit, ut fœmina mares uideantur. Vbi uel ab ipfis Iudicibus audierit id effici non poffe, nulla monftra, & prodigia in iudiciis uerfari, tum ultro te irridebit, quod feruos idem effe putas, quod feruas, quum res fint hæ duæ duorum nominum, tu autem imperitiffimè utrunque eodem nomine complectaris. Aduocatus uerò eius non uiros modo, fed pueros quofque excitabit, qui modo

modo ludum literarium uiderint: interrogabit, quid in primis grammaticæ regulis didicerint, num quædam sit inter uirile & muliebre genus discretio, an commixtio sit, & ueluti utriusque sexus quædam colluuio. Lex est uetus, si libertus patronum in ius uocauerit absque uenia, plectatur libra auri. Vocat liberta patronam, nulla uenia petita, expostulatur de pœna, dicit illa se lege non teneri, quia scriptum sit: si libertus, se libertam esse, patronum uocauerit, se patronam uocasse, quid tu ibi tum? an dices idem esse patronam, quod patronum, libertam, quod libertum. Implorabit illa Deum atque hominum fidem, clamabit se lege appellatam non esse, quod mulier sit. legem autem apertè de masculo loqui, quod si nihilominus damnata fuerit, adhuc magis infœlicitatem suam deplorabit, quod hodie tanta Latini sermonis sit incuria, ut iam nesciant homines masculinum genus a fœmineo differre, quid ergo? liberta hæc in legem non commisit? minime, nisi plusquam scriptum est legatur, quod hi faciunt, qui mentem & rationem legum altius scrutantur, nam si uerborum uim, proprietatem, figuram, sonum consideremus, necesse est illam fore superiorem. Verùm qui perspexerit libertam lege coerceri, quia ad uersus auctorem libertatis libertate irreuerenter abutitur, statuet idem ualere in liberta, & si prætermissum fuerit: non enim scripta lex est masculo, sed reuerentiæ, & quod eodem consilio sit, eodem iure esse oportet, plectetur ergo haud iniustè liberta, quæ licet dispari sexus conditione, pari tamen temeritate in uocando patronam abusa est. Tu uerò mulis emptis impudenter mulas quoque tibi deberi diceres, quoniam non sit uerisimile, qui uendiderit, uno atque eodem pretio addictas uoluisse: similiter stipulatus seruos, seruas iniquè peteres, nisi doceres eum, qui spopondit id uoluisse: nemo enim censetur obligare se uoluisse plusquam uerbum ipsum sonat, promisisti inquit seruos. Qui tibi patet aditus ad seruas meas? non decet te promptiorem esse ad auferendum quàm ego fuerim ad promittendam, tu auferre uis tanquam dixerim seruos seruasque, non dixi, sed seruos tantum, at id uolebam, cur igitur non expressi? quid erat negocii uerbulum addere, quod argento non fuerat emendum. Vides iam, ut opinor Flori, quæ uis sit uerbi in uno duntaxat genere prolati. At qui ut aperte omnia intelligas, ego tuus aduersarius fateor accidere posse, ut quod uerbo statuitur in masculo, id interpretatione porrigatur ad fœminam, quæ sanè interpretatio de mente loquentis sumenda est. Nunc uerbo tu excluderis: stipulatus est enim luculente Henrietus pro filiis, de filiabus litera nulla. At interpretatio te adiuuat, quomodo? si non doces eadem mente & cogitatione erga filias Henrietum fuisse. Ego profero tabulas clarissimè loquentes de filiis. Tu, qui re mihi opponis, ne uidearis te quoque ipsum auo communi opponere, & non contra tabulas contractus, sed secundum eas dicere, doce istud, quod debes, fac palàm, quomodo scias uoluisse illum, ut hæc pecuniæ stipulatio ad Marcellam quoque pertineret. Habes idoneum testem, qui hoc de patre audiuerit, habes graue aliquod argumentum uoluntatis paternæ in Marcellam propensæ, nihil horum, nam si haberes, nihil protulisses prius. Quod si id, quod præcipuè tibi incumbebat docere non potes,

R tum

tum denique ſummo aſſenſu omnium defendam me uerbo, quod uirili ſigno prolatum eſt. Dices, ſi de filiis tantum maſculis loquutus eſt Henrietus, ubi ergo relictæ ſunt filiæ? neſcio ubi reliquerit, illud palàm eſt quod quum contractum hunc faceret, eas non uocauit. At non dixit filios maſculos, cur diceret, ſi id ipſum genere ſuos ſignificabatur? Tu autem, qui tam diligenter quid prætermiſſum ſit, exploras, quid habes, ut petas pro filiabus, quarum nulla omnino eſt facta mentio? ſtipulatio eſt pro filiis, qui ergo locus filiabus? Hic quæro, cur ſtipulationem iſtam Henrietus interpoſuerit? ut filiæ haberent, quomodo ergo dixit filiis? Cur de hoc toto filiarum genere in tam amplo inſtrumento tantum ſilentium? Negligenter ſe geſſit in iſto contractu. At qui Iudices, quum recitabatur uobis contractus formula, animaduertere potuiſtis hominis ſolertiam, tum uero hac in re, de qua agitur, perſpicite, ut diligenter ſe habuerit, ac propè faſtidioſè. Non enim tantum ſtipulari uoluit pro filiis, ſed etiam pro filio, ſi non plures, ſed unum tantum ſuſcepiſſet, quod & accidit, ne aliquando in tanta ubertate improborum ſurgeret aliquis, qui ſtipulationem concepta pro filiis defeciſſe diceret, quod non filii, ſed filius natus eſſet. Dubitate nunc ſi poteſtis, quin pari ratione filias appellaturus fuiſſet, ſi ad eas iudicium ſuũ porrexiſſet, nam qui numerum utrunque memoriter comprehendiſſet, genus autem tantum uirile enuntiaſſet, is muliebre conſulto uidetur reticuiſſe. Etenim credendum eſt Henrietum, quod mente comprehenderat, eſſari non potuiſſet, & ignoraſſe, quomodo quicque dicendum eſſet, ut agreſtem hominem ac ſimplicem, urbanarum litium imperitum, uel ut latinæ linguæ expertem neſciſſe quid in inſtrumento ageretur, denique eum fuiſſe, cui rudis tabularius impoſuerit. At hæc de Iuriſconſulto ne fingi quidem poſſunt. Quid de Henrieto Nata dicemus? qui quum Iuriſconſultis eſſet illis temporibus, quibus eius ordinis neminem imperitum inuenire poſſes, ſolus tamen ob præſtantem iuris ciuilis cognitionem in ciuitate iſta ſapiens nuncupabatur. Exiſtat parumper animo & cogitationi tuæ affigatur Auus tuus Henriete maternus, cuius etiam nomen refers, grauitate illa & prudentia ſingulari, propter quam tantas opes tantum nomen comparauerat. Dicat ſe non rudem, non imperitum cauſarum ciuilium, plurimas lites patronum inſtruxiſſe, iudicem diremiſſe, omne ætatis ſpacium in pernoſcendis hominum controuerſiis decurriſſe. Itaque præiſſe ſe uerbis notario ſcribenti, nihil ſibi fuiſſe prius, quàm ut quæ mente gerebat, aptis & idoneis uerbis proſequeretur, nec ea in re falli potuiſſe, quapropter omnem uoluntatis ſuæ imaginem literis, ut oportebat, expreſſam reliquiſſe, nihil à ſe præteritum, quod fuerit dicendum; ſi quid ipſe uoluerit inueſtigandum ſit, uerba ipſa contractus expendi oportere. Hæc ſi adeſſet diceret dirimens controuerſiam hanc noſtram, remittens utrunque ad contractus formulam iam perſcriptam: non enim quid in poſterum uellet, ſed quid olim uoluerit controuerſiam ortam uideret. Quod ſi te uocis tunc ſuæ grauitas rugæque ſeniles commouerent, moueat nunc defuncti auctoritas, ne credatur ille uir prudentiſſimus ac peritiſſimus, quum omnia controuerſiarum genera, omnia uerborum pondera egregiè calleret, quicquam minus perſe-

perfectè enuntiasse: non enim uoluit (ut opinor) ambiguum quicquam con sulto efferre, quo inter posteros certamina exercerentur. Ille potius quod sensit apertissimè explicauit. Tibi non uidetur? quid curem ego quid tibi uideatur? Nemo enim in iudicium uenit, qui fateatur se iniquè quicquam dicere, sed cuncta potius uoluunt & contorquent, ut partem aliquam iuris attingere uideantur, sicut tu modo faciebas, qui ausus es dicere, quod dum stipulatione Henrietus consuleret filiis, non sexum considerasse, sed generationem, quasi uero magnum ac graue fuisset, si id cogitasset, stipulationis formulam in progenie uel prole sua concepisse, uel si uerbum illud filiis placeret, & de fœminis quoque cogitasset, poterat addere utriusque sexus, sicut à multis fieri uidemus: hæc enim duo uerba utriusque sexus addere so lent, quia facile intelligunt, si filios simpliciter appellassent, hac appellatione masculos tantum contineri, hic autem non fuisse addita uidet quilibet, qui contractum legit, & illa non legit, nec præterita potes dicere propter inscitiam. Iniquum enim, ac penè nefas dixerim in tam diligenti scriptura à Iurisconsulto & uiro omnium peritissimo confecta quicquam prætermissum arbitrari. Si stipulatio fuisset pro filiabus, tu liquido obtineres, cur pari ra tione non obtineam ego, quum stipulatio sit pro filiis? quousque tenebras relicto sole sequemur? quousque diem cæcis nubibus inuoluemus? Voluit Henrietus post mortem suam consultum filiis, quid dixerit scire dissimulamus, nolumus intelligere, quasi barbarè loquutus uel aliquo circuitu usus sit. Ego tutum me puto quum filios nominauit. Tu mihi ex altera parte mu lierculas constitues, atque in partem stipulationis uoces, easque dices dignas maioribus suis, ac multis aliis efferas laudibus: stipulatio est pro filiis, num intellexisti? An putasti te propter amplitudinem fœminarum obtinere posse, ut uiril i genere nuncupentur. Si ulla mulier masculo nomine uocari deberet, tribuendum id esset Cæsaris matronæ propter amplitudinem tantæ Maiestatis, at hæc augusta non augustus uocatur, loquimur de ea, ut de qualibet alia muliere. Deos nulla diuersitate sexus constare ueteres putauerunt. Itaque rectè fecisse putatur summus ille Poeta noster, quod de Vene re uerba faciens Deum uocet, num etiam inter mortales nulla sexus discre tio? aut si qua est, proprio signo notari non debet? Et tu id credis? Non ui des in quotidiano sermone, ut nemo filios filiarum uocet nomine, nec econ uerso filias filiorum nomine? quis multæ sobolis pater mandans aliquid filiis dicit se filiabus mandasse, uel quis filias iubens aliquid peragere, dicit se id filiis iussisse, discreta res, discreta nomina, discretus sermo, quod si com munis usus loquendi pro me stat, tibi aduersatur, quid quæris amplius? Num ius aliquod apertius? Populus enim (ut aiunt) sermonis Dominus & Magister, sed de his tu uideris. Vos autem Iudices non debetis temere à scripto recedere, sic repertæ literæ, sic data uerba, ut hæc sensa mentis indi carent, illæ indicata diutissimè custodirent. Vnusquisque quod uelit loqui, quod nolit tacere existimatur. Nec ego hoc eo dico, quod putem uos uerba tenere mordicus debere, imò censeo sequendam mentem non perscriptam, si modo ex uerbis ducatur, inspiciendo id propter quod uerba ipsa prolata sunt. Absurdum porrò esset linguæ, non etiam cordis, quo lingua

 mouetur,

haberi rationem. Multa in scribendo prætereuntur, quæ nemo præterita existimat, quia in causis eorum, quæ dicuntur, inclusa sunt, & ubi de mente constat, uerba, quibus mens portatur, deseruntur, sicut deseritur nauis, ubi quis eo, quo intendit peruenerit: Itaque si manifestus Henrieti sensus de filiabus aperietur, nihil impedio, quin sequamini, sed illud peto à uobis, ac contendo, non tam mei fratrumque (si ulla esse potest) gratia, quàm pro communi fortunarum præsidio, ne leuem conecturam aut suspicionem incertam, ne ambiguum aliquid & lubricum, quantumuis callidè excogitatum, putetis ualere oportere, quo uerba, quæ mentis nostræ clarissima sunt lumina, deserantur, nam si extranea quædam conquirimus ac consectamur, iam res non in potestate scribentium, sed in ingenio acutè interpretantium uertentur, nihil erit quod posthac quispiam putet, quod scripserit firmum ac stabile futurum, si uerborum proprietas, quæ plurimum ualere debet, relinquatur. Opinatur Florius Henrietum uoluisse filias participes fieri pecuniæ huius dotalis, sed non hoc opinari illum, sed scire oportebat. Docet me, uel uos potius Iudices, unde audiuerit, cui Henrietus dixerit, in quibus tabulis scriptum reliquerit. Fortasse in testamento hoc censuit, sed non audebit illud proferre, in quo Marcellam, reliquasq; filias dotem percipere, reliqua non attingere iussit. Itaque si Florius nihil aliud pro matre nouit dicere, nisi quòd in Henrieti domo est genita, & de Leonoræ corpore educta, qua in re obstetricis & aliorum multorum opus esset testimonio (quod ego tamen sine ullo periculo causæ ita esse t concedo.) Ex altera autem parte proferantur publicæ tabulæ, quæ præconis uoce clarius pro filiis resonent, ne tenuissima quidem dubitatio inhærere mentibus uestris debebit, quin secundum filios litem detis. Et hæc quidem dicerem si rem totam uellem ad uerba deflectere. Quid? quod in animo est non solùm uerborum ui, sed etiam æquitatis præsidio hanc causam defendere? Attendite diligenter Iudices: hæc enim, quæ dicta sunt hactenus, faciunt, ut possitis, quæ mox dicentur, ut uelitis secundum nos iudicare. Superiora illa ad uictoriam, ista ad uictoriæ facient facietatem. Nec iam certabo cum Florio, qui stare non potest, sed deiectum iam atque fugatum nostro insequar campo. Quid enim attinuit interpretationes conquirere, acuta quædam excogitare, molestias tot suscipere? qua si uero factum esset ab Henrieto, quod non licet, uel minimè oporteret. Ego sic interpretor, Iudices filiis uniuersas facultates fuisse committendas, qui familiæ dignitatem atque amplitudinem copiis tueri debent, & memoriam generis sobole propagare ac retinere possunt. Nam quod ad filias attinet, has parentes, quamprimùm anni commonent, in honestas familias, & uiros se dignos collocant, sumptum faciunt, dotem expediunt, nihil præterea de bonis suis permittunt, ne familiam propriam, quam deserunt, & prole non instaurant, abeuntes etiam expilatam dimittant, nec illæ pluribus sanè egent, quando dote accepta alienarum fortunarum participes efficiuntur, ita ut sine ulla inuidia patrimonium omne masculis assignari possit, propter quos familiæ nomen conseruatur ac posterius propagatur. Hæc Flori, quum scires, ne excitari quidem potuisti, ut cognosceres Henrietum,

quic-

quicquid gesserit filiorum nomine, rectè gessisse. Vox te ipsa non percullt, quum pactio pecuniaria staret pro filiis, ut hos tantum putares ad pecuniam istam, quantulacunque esset, uocatos. Esto, fuerit ambiguum uerbum illud & obscurum, attamen ut scire posses quid esset actum, consuetudinem interpretem adhibere debebas, nam quum uidisses solere fieri, idque certa ratione fieri, ut iudicio parentum filii, quicquid ubique paternum esset, possiderent, tunc denique omnem dubitationis causam tibi præcidisses. Impentissimè omnium dicebatur commune esse filiorum nomen, ut filias complectatur: hoc est enim uocabula torquere ad aliud, quam quod signare nata sunt. Fit tamen sæpe, ut superius dixi, non ut uerbi uirilis, sed rationis, quæ de sensu colligitur loquentis, ut quod de uno dicitur, intelligatur etiam de altero. Itaque probatur mihi quod afferebas à prudentissimo Iurisconsulto. fuisse responsum, patrem, qui filiis tutorem dederit, filiabus quoque dedisse uideri: nihil enim dici potest, cur fœminis quoque consultum noluerit, præsertim, quæ ob sexus infirmitatem præsidio tutoris magis egeant. Hic quum stipulatio esset de filiis, bona erat occasio hunc actum interpretatione ad filias porrigere, si pariter omnia conuenirent. Sed parum ne tibi in paternis bonis accipiendis iudicio omnium discrepare uidentur? Deseramus iam uerborum angustias, & in hac æquitates area, si placet, decurramus. Nam si in quolibet contractu caput est perspicere contrahentium mentem, quum ostendero, quid Henrietum facere decuerit, Tu, ut opinor concedes, quod decuerit id ipsum fecisse. Fuit enim ille uir tam plenus ingenii, consilii, auctoritatis, ut nihil nisi rectè & sapienter constituisse credendum sit, sed num parum constat decuisse hoc illum, ut filiis, filiis inquam masculis prouideret. Nam si magis est, ut quis uelit familiam suam iacentem extollere, procumbentem erigere, quam florentem euertere, ullam ne grauiorem familiæ suæ potuisset Henrietus infligere securim, quam si sua filiabus addixisset, quum ipsæ externo generi essent addictæ? quid prius? quid conuenientius, quàm filiis relinquere, qui iisdem in uestigiis consistentes uel ingenio uel fortuna magni sibi, generi, maioribusque lucem ac splendore reddere possunt. Dicerem hic quàm graues, quamque ornati Iurisconsulti fuissent Henrieti filii, ut etiam non uni familiæ, sed uniuersæ ciuitati fuerint ornamento, nisi recens ipsorum esset memoria, & uestris mentibus inhæreret. Secundinus uero genitor noster ex Leonoræ corpore natus, cui hæc pecunia pacta debetur, qui uir fuit? qui ciuis? non ullis quidem literarum disciplinis instructus, sed consilio, ingenio, industria, innocentia, liberalitate cuilibet summo ciui par. Hæc Florius homo mini mè malus ac suspicax exquirenda non putat. Nescio inquit aliud, nisi quòd Marcella Henrieti est filia, id si placet quæratur: at id conceditur, quin tu illud potius quæri iubes, an talis sit, qualem esse oportet, an digna sit, quæ cum uiris pecuniam pactam partiatur. Est illa familiæ columen, cuius? an paternæ, quam reliquit? an uestræ quam adiit? de uestra, tu uideris: à nostra uero, quam sanguine contingit, longè animo abest ac corpore, quid ergo tribui sibi uult ab ea domo, cui nulli est emolumento? non ab re plerique mirantur, quid Floria domus uelit de Nattarum domo auferre, qua-

si

si uero hæc indigna sit opibus illa rerum omnium dignissima. Tu uero Flori tali in re quid facturus esses? An permitteres filiabus tuis, si haberes, quicquid uelint: de Floriorum nomine auferrent, uel potius, quantum in te esset, laborares, ut Flori tui, quàm florentes essent & ornati. Noli iam ergo quærere cur Natta noster pecuniam filiis depactus sit, si per hos intelligebat familiam istam augeri, ornari, conseruarique posse. Mirum uidetur, quod ad hanc pecuniam filios uocauit. Quid si illis non existentibus agnatos uocasset, filiabusque prætulisset, quis nam tandem posset reprehendere? Semper magna est habita ratio familiarum, ut opibus affluentes essent ac ornatæ, siue iudicia hominum inspicimus, qui fideicommissis decedentes, quotidie cauent ne bona de familiæ nomine exeant, siue legum uim potestatemque intuemur, quæ hæreditates & quascunque successiones patrisfamilias intestato defuncto ad proximiores masculos detulerunt. Nam fœminis e paternis bonis dotem tantum sibi conficere permissum, & talem, quæ sit idonea, quo secundum generis dignitatem nubant, non ut etiam pretiosissima quæque de domo auferant, non ut loca, in quibus maiorum impressa sunt uestigia, & generis insignia defixa, nuptiarum fœdere externis addicant, quid est? Num conturbo te? ulcus ut uideo tetigi, atque contrectando exacerbo, dum familiarum dignitatem utilitatemque appello, dum affectus & studia hominum in genus suum profero, dum indignum esse statuo familiarum spoliis fœmineos thalamos adornari: hæc ue ritati, rationi, communibus hominum sensibus congruunt: Nam qui nullam partem æqui bonique in iudicium afferunt, nihil plus habent, nisi quòd impudentiæ existimationem luctantur. Nam tibi Flori, nisi sine caussa ineptus esse uis, ut quod percupis obtineas, dicenda sunt, hæc, nullum esse familiæ subsidium in masculis, quod si non potes, illud ostende, nullam curam homines familiæ suæ habere, quod si ne illud quidem audebis, saltem illud doceas, nihil interesse utrum quis familiam inopem uel diuitem relinquat. At hæc pro nobis perspicua sunt omnia: Nam illud primùm, nemo dubitauerit, tam in masculis statum familiæ consistere, quàm in fœminis interitum: quæ ne in una quidem coniugii sede permanentes huc illuc transferuntur. Omnes deinde familiæ afficimur, in qua nati atque educati sumus, cuius nomen præferimus, de qua maiorum gestis, gloria, monumentisque decoramur. Si patriam diligimus omnes, uel tota potius mente complectimur, non minor familiæ ratio habenda est, quoniam sicut illa ab hominibus ciuitate, ita hæc a ciuibus genere distinguit. Nemo tam obscuro loco natus est, quin se atque suos summa ope efferre studeat, quo iustius & uiuens te mortuus honoretur, imo studiosius unusquisque eo incubit, quo maius & gloriosius existimatur nobilitatem generis uirtute acquirere, & id posteris tradere, quod ipsi à maioribus non suscepissent, at quorum maiores splendidè uixerunt, ii splendorem huiusmodi student conseruare, aut etiam augere, nemo tam excors, qui imminui uelit. Maximum autem ornamentum esse diuitias, quis nescit, aut non uidet? Si aderunt, magnifica, potens, ingeniosa etiam tota erit domus: Sin minus, interibit, quia tam interire uidetur, quum egestate deprimitur, quàm quum sobole deficit.

Certè nota quædam & rubor generi inijcitur, si inops dimittatur, pessimè res agitur, quum posteri maiorum splendori copiis non respondent, nulla unquam in paupertate stemmata profuerunt, potius si uerum exquirimus obsunt. Equidem summa cum fide referam uobis Iudices, quod ipse nuper uidi. Nam quum plurimi lecti adolescentes negocii cuiusdam transigendi causa in foro conuenissent, & fortasse præteriret illac quidam, qui se de Macedonum Regum sanguine oriundum prædicaret, squalleret autem & uestu & uultu: esset q, omnium egentissimus. Tum unus amico. Nescis hunc (inquit) Regium esse sanguinem, qui tam malè indutus ambulat. Noui (inquit ille,) sed illud admiror, quomodo eius maiores è tantis opibus nihil huic præter sanguinem, & hanc quam uidemus oris formam reliquerunt. Porrò tertius. Rectè inquit sentis, nam istius fumosæ nobilitatis, quam præ se iactat, nihil iste nobis refert præter colorem. Vix hoc dixerat, quum excipiens sermonem quartus. Hunc ego inquit crediderim Irum potius habuisse in maioribus suis non regum aliquem: quis tam licenter permisit huic nebuloni compilare annales, ut ex his quod uellet sumeret sibi genus? Hic subducto supercilio quintus. Nolite inquit nobilitatem istius ualdè contemnere, quæ non ficta est, sed uera & magna, & adeò uetusta, ut iam corruat, ac penè deficiat, quid plura? Ca uilla in illum miserum omnes iacere, & fabula esse uulgaris, qui si summas opes habuisset, stirpem eius ab Alexandro usque, qui totum sibi orientem prostrauit, per gradus singulos omnes memoriter retulissent, dignumq ue esse illo genere, dignum rebus gestis maiorum, dignum summo Imperio clamitarent, nunc illa in egestate illuditur, & mentiri creditur, uel ut uera dicar, auferre ueterum heroum gesta, & habere sibi præteritos maiorum triumphos iubetur, diuitiis, opibus, copiis, facultatibus familiæ illustrantur. Nec mirùm, quum uirtus ipsa, quæ per se plurimum pollet & splendescit, his adiunctis gratior reddatur & ornatior. Hæc eo dico Iudices, non quo paupertatis causam uelim premere & insectari. Mihi quicunque alteri exprobrat paupertatem, is non recti animi esset, & grauiore ipse ingenii paupertate conflictari uidetur, nam quum id quod alteri obiicit ut uitium, potuisset sibi contingere, si ita uisum fuisset fortunæ, non debet alterius sortem despicere, sed gratias agere Deo, quod ipsum benignius indulgentiusque tractarit. Ostendendum tamen fuit Iudices id, quod ipsi uidetis, diuitias maximo esse usui, maximoque ornamento, & simul paupertatem fore ridiculam, si intumescat generis nobilitate uel alio quolibet. Hic de Henrieto plura non dicam, nisi illud uerisimile non esse, ut quam familiam uirtute ipse sua illustratam decoratamque uidisset, hanc fructu laboris industriæque suæ spoliatam esse uellet, aut ulla ratione perpeti posset, hoc ita iam uobis uideri Iudices existimo, adhuc tamen aliquid clarius ostendemus, ne fortasse conqueratur Florius suspicionibus se premi. Nolo Iudices suspicemini Henrietum uoluisse istam pecuniam in filiorum utilitatem conuersam, nisi apertè ac penè oculis uideritis. Dicimus Henrietum illo supremo iudicio, quod de fortunis omnibus diligentissimè conficitur, filios rerum omnium hæredes instituisse, Marcellam tuam & reliquas filias dotem tantum habere uoluisse. Nonne ista qualia sunt interpretamur? quid

quid erat quod quum filiis cuncta traderet, filias penè ex hæredes faciebat? An aliquid inter filios & filias interest? non arbitror. Sunt enim utriq, dulcia naturæ pignora, cara pietatis nomina, arcta dilectionis uincula, prima inter homines coniunctio. Sed ueritus est uir prudentissimus, ne familiæ opes attenuarent filiæ nubiles, si possidere liceret, non tamen illas omnino reiecit ac neglexit. Nulla enim tanti debet esse utilitas, quæ filias à parentibus faciat extraneas. Itaque singulis filiabus dotem re magnam, temporibus illis ingentem legauit, quo facilius secundum genus collocarentur, quã iustè elogium illud conditum? quàm sapienter? quàm legitimè? quàm de bonorum omnium consuetudine? Nam quum liberos utriusque sexus suscepisset, masculos, in quibus familiæ nomen consistit, rerum dominos effecit, fœminas uero ad alienas domos, fortunasq; tendentes dotem tanquam uiaticum efferre uoluit, à cæteris abstinere iussit, ne plura auferendo generis proprii ac paterni neruos inciderent. Possum ne rem magis claram, magis iudicatam adducere? quis est, qui stipulatione cauit, ut filii post eius obitum pecuniam haberent? Idem qui testamento uniuersarum fortunarum dominos constituit. Nonne in isto contractu cernitis imaginem futuri testamenti? Nonne ex testamento simulacrum antecedentis contractus? An dicitis modo hoc, modo illud sensisse? quanto nerius hominem illa præsertim auctoritate & prudentia in omnibus uitæ partibus similem extitisse, ne quum alii laborent, ut cæterorum moribus conueniant, hic à se ipso dissidere uideatur; quomodo hoc dici aut audiri potest, ut diligentius consuluerit filiabus in uita quàm in morte? & lautius honorauerit in pecuniolæ pactione, quàm in uniuersæ hæreditatis distributione? aut testamentum tanquam improbum, inhumanum, inofficiosum accusa, & multo plura & pretiosiora debebuntur, aut si non potes, noli oppugnare hunc contractum, cui inest prærogatiua testamenti. Omnino dubitare non conuenit, quin stipulatio tota sit filiorum, quos solos ultimo iudicio tam constanter souit, tantumq; abest, ut filias uocauerit, dum prospicit filiis, ut potius illa cautione eas repulerit. Quid si largiar, ut istam pecuniam pro se tantum pater stipulatus fuerit, nulla filiorum illata mentione? magnam omnino iacturam caussæ facere uidebor. Dic an uelis ita esse? Mouit caput, & annuisse uisus est. At nos hæreditario iure cum reliquis rebus pecuniam istam occupabimus. Iam tibi optionem fero, quod commodum est elige. Scriptum ne malis sequi an recere. Si scriptum placet, capimus ex stipulatione, ut filii: si displicet, ex testamento ut hæredes. O Henricte parens, qui de tuis uirtutibus (ut credimus) cœli factus es incola, quo nam animo accipis ista si uides, uel ad te perferuntur. Si gessisses simpliciter negocium istud, filii, quos maturo iudicio fortunarum tuarum hæredes reliquisti, integrum omne patrimonium de tua sententia cœpissent, nihil delibasset mulier, nihil deflorasset. Nunc uero, quod in ipsa re gesta nominatim ipsis cauisti, deteriori conditione, ut istis uidetur, effecisti, insultantibus filiabus, quas ut constitueras, dote ablata contentas esse oportebat. Te ista pactione non prospexisse filiis, sed ademisse interpretantur, parumq; sibi callidi ac uersuti uidentur, nisi eum, qui alius cauit, capiant, eò usque processit audacia impudentiæ permixta, ut nul

Iam

Iam reuerentiam coniunctioni sanguinis, nullam pudori sexus, nullam iudicio parentis præstent. Si de filiis dictum non fuisset, filii testamento, lege, consuetudine, quicquid ubique paternum esset, omne haberent nemine in partem admisso, quomodo minus habent nunc uocati, quàm habuissent inuocati? si stipulatio est pro filiis, ut apparet, cur illis quicquam demitur? cur quod opitulari debet, in perniciem conuertitur? Si nihil actum est gratia filiorum, cur tot paterna bona soli possident? Sed quoniam iam ad perorandu spectat Oratio, uobis semper proponite Iudices ac mentibus uestris penitus affigite, id quod iam diu ago, (nihil enim est in hac causa, quod magis urgeat) mulieres ad paterna bona uenire cupientes & hominum iudiciis repelli, & sententia legum, quid horum per se non firmum? Vtrunque uero coniunctum adeò ualidum, ut nullo modo conuelli possit. Ambitiosi parentes in mares, dum fœminas ab hæreditate depellunt, quid leges, quarũ est certa & constans ratio? cur æquè repellunt? At leges duræ, quid parentes, quorum tanta mollitudo est in liberos, cur idem & faciunt & sentiunt? Verses te huc illuc licet, iaceas necesse est. An te naturæ ratio magis mouit? quam uiolari dixisti, si aliquam inter masculos & fœminas induceremus differentiam, quasi natura gemina paria effecerit, ac non plurimas utrique partitum diuersitatis notas indiderit. In uiris pilosa corpora, hirsutæ genæ, acrior uultus, grauior uocis sonus, procerior statura, quæ omnia præ se ferunt fortitudinem, constantiam, uim, robur, patientiam, firmitatem, duritiem, quid de ingenio aut consilio dicam? quod quum hominum præcipuum sit, tum in eo ipso uiri excellunt. Mulieribus natura minus neruorum ac uiriũ, sed plus pudoris, uerecundiæq; concessit, plus suauitatis contulit in moribus, & in corpore uenustatis. Accusanda est ergo in quis natura, quod non omnes masculos effecerit, præclarè, ut unde nasceremur, non esset. Quod si naturæ fuit pro subsidio humani generis diuersas species edidisse, hominis est quancunque stationem acceperit, in ea æquo animo permanere. Nemini tamen honos sine onere tributus. Nam uiris ad res gerendas erectis, & ad dignitatem utilitatemq; comparandam paratis, quam multa grauia subeunda? quæ molestiæ, quæ solicitudines perferendæ? Nos maria sulcamus, bella gerimus, terram uomere & duris ligonibus exercemus, respublicas curamus, aduersus multorum odium, inuidiam, insidias contendimus, nobis metus, nobis pericula intenduntur, in nos terra, mare, flumina, campi, Syluæ sæuiunt, his adiice ferrum, quod & cætera ad uim armat, & ipsum armatur ueneno, denique trahimur huc illuc, rapimur, laceramur, extinguimur quoque subita ui & improuiso, immitiq; letho, dum sub diuo assiduè agentes uel rei uel dignitati studemus, quum interea mulieres in umbra & ocio ætatem degant, si quid plus operis est, lanam sub tecto & fusum tractant, & illa maximè laudatur, quæ quàm minimam faciat sui in publico copiam. Quamobrem intelligitis Iudices illorum iudicia amplectenda, qui fortunas suas non muliebri meritæ, sed uirorum periculis, laboribusq; addictas esse uoluerunt. Vobis profecto statuendum est ad multa incommoda uel euitanda, uel toleranda, opus esse nobis opibus & copiis. An opus non erit? quan do etiam dignitates sumptuosas habemus, fœminæ autem non modo one-

ra non ſubeant, ſed ipſæ uitis oneti ſint. Et quoniam de fœmineæ ſortis liberis loquimur, illæ iam adultæ dotẽ ſibi à parentibus confiei uolunt, quod quidem dotandi onus his temporibus indies fit durius, atque adeò ingraueſcit, ut uix iam ferri poſſit, propter mulierum delitias, earumq; uarium & ſumptuoſum omatum: prima ſpes eſt in filiabus, ſimulac eductæ ſunt, generi, ſecunda nepotum, nec pluta ſexus ſperare ſinit, quæ ut ingenio nobili ſint & pudico, num tamen patemam domum alienæ familiæ colonæ illuſtrabunt? Nam mares ut corporis forma, ita uirtute, ingenio, induſtria patribus ſimiles ſæpe euadunt. Iraque quenquam hos altetis prætuliſſe in aſſignatione bonorum, mirùm ne an turpè dicemus? at turpè non eſt, quando nulla interdicitur religione, nec mirùm etiam, quod quotidie fit, uulgo, paſſim, de more inſtitutisq; communibus. Nec uerò Iudices dici poteſt, quod ego & fratres grauiter ferre debeamus, transfetri à filiis bona contra iudiciũ paternum ad fœminas, uobis autem & reliquis ciuibus id leuiter ſit ferendum. Nos enim & ſi pecuniam hanc hoc iudicio amiſerimus, attamen reliquo patrimonii inſtrumento, uirtute item & induſtria dignitatem noſtram familiæq; tuebimur, nihil patiemur durius, iactura hæc fuerit mediocris. Vobis proſpiciendum eſt, ne contra familiarum ſtatum aliquid iniuſtè ſtatuatur, quod trahi exemplo ad cætera grauiora poſſit: nunc parua pecunia uenit in controuerſiam: in qua ſi filiæ ſuffragiis ueſtris obtinuerint, res ſerpet longius, nam mox pretioſiſſima quæque prædia & urbana & ruſtica, nec multo poſt caſtella, uici, oppida, iuriſditiones, filiarum nomine petentur, & hæc præclara pecuniæ membra rali gradu iacto à nobiliſſimis familiis & agnationibus forſitan auferentur. Eſt prudentium uirorum quales uos eſtis, præcauere in minimis quibuſq;, ne his neglectis tranſitus paulatim ad maiora fiant. Demum ſic habetote uos uno hoc Iudicio de familiarum omnium ſtatu decreturos. Si enim ad hanc pecuniam, quam debeti maſculis diximus, fœminas admittitis, multorum audaciam nutrietis. Sin repellitis, nemo in familiarum pemiciem maiora tentabit. At quæritur hic Florius filias hæreditate paterna detruſas aduentitiis etiam copiis ſpoliari; quia hæc inquit pecunia à Benedicto Rotario dono conceſſa Henrieto Nattæ auo meo matemo fuerat. At ego dico dotis cauſa iterum conſtitutam. Quod ſi filii rectè primam dotem poſſident, cur non pari iure poſſidere licebit ſecundam? Imò inquit intereſt, quia prima dotis conſtitutio neceſſitatis fuit, ſecunda liberalitatis. Quid refert inter iſta? aut quorſum hoc pertinet? nam quæcunque uiro dos dicta eſt, etiam ſi ſæpius repetatur, ad onera matrimonii ſubleuanda pertinet, neque illa gratis Henrieto lucri cauſa datam extimauerim. Mox quaſi iſtorum pœniteret, efferet mulris Romana iura, quibus liberi utriuſque ſexus pari lance ad parternam hæreditatem uocanrur. Mitto quæſo oſtendere Romana iura, quæ modo hoc, modo illud ſtatuerunt. Hæc quæ memoras, non ſunt illius probatæ uetuſtatis, ſed poſteriorum temporum, quibus pleraque in deterius ſunt commutata, ſed non diutius tecum in eo litigabo, fuerint illi uiti, ſicut fuerunt in uniuerſo iure ciuili conſtituendo & deſcribendo prudentiſſimi, quid prohibet ſingula, quæ minus probamus, inuertere atque detrectare? quomodo

modo tibi uenit in mentem ius, quod decreto ciuitatis abrogatum est, iactare? Tu ita iuri Romano inniteris, ut pro nihilo putes decreta patriæ? quid patriæ? imò totius Insubriæ atque Liguriæ, et ut plenius dicam, totius Italiæ: nego ullum esse oppidum, ullum uicum, in quo non diligentissimè sancitum sit, ne fœminæ dotatæ patri ab intestato succedant masculis extantibus. Id legibus municipalibus inductum recepit usus, approbauit consuetudo, imò omnium mentes ac uota has leges efflagitauerunt, quibus singulis familiis dignitas conseruans diutius restituta est. At illud firmum uidebatur argumentum, quod non Henrietus Natta filiis, sed Benedictus Rotarius stipulatus esset nepotibus, quod falsum omnino uidebitur ei, qui perspexerit stipulationem pecuniariam factam esse priori loco filiis, qui de Henrieti & Leonoræ corpore nascerentur, his nullis natis, aut nequaquam superstitibus substitutos eiusdem Henrieti filios ex priori uxore susceptos: apparet opinor dilucidè stipulationem ab illo interpositam, qui nullo unquam tempore uoluit pecuniam semel receptam à Nattarum domo diuelli. Sed quid plura? Pecunia est hæc ab Henrieto de consensu etiam Benedicti in feudalibus prædiis collocata, ad quæ masculi tantum uocantur, qui militate pro Domino, atque in hostem arma ferre, & pugnare possunt. Ecquam putatis causam istam clariorem ueritatis uocem posse mittere? Negligo iam cætera, hoc uno uincamus necesse est. Atqui quum eo pecunia hæc omnis, quæ dicitur dotalis, fuisset deriuata, nos tamen non omnia prædia possidemus, & à cæteris possessoribus nescio quid pecuniæ pro isto nomine refusum fuit, ut istius petitio nullam aduersus nos inuidiam ualeat concitare. Magno autem adiumento caussæ esse debet, quod Marcellæ sorores earumque filii consobrini nostri, quiescunt iuri nostro concedentes, quorum neque uirtutem & industriam ignorare potestis, neque ornatas bonorum facultates. Sæpius istum urgentem & impellentem, & anhelantem cum illis hoc factum suum communicare, abiecerunt, neglexerunt, repudiarunt. Non potestis nos opprimere uestris sententiis, uestra auctoritate, quin illorum factum iudiciumque damnetis, laboremque una meum, qui uetere instituto causam hanc dicendi facultate subnixus tam longa oratione explicaui. Nolite Iudices in nos iudicii uestri potestatem distringere; quos non magis rei familiaris iactura solicitat, quàm cura nominis tangit, quum Florius ea petat, quæ quod filiorum nomine sunt suscepta, uidentur Henrieti aui manibus sub claustro signoque familiæ nostræ collocata, pro quibus non minus, quàm pro domibus certandum nobis esset, qui dolor, qui mœror excitaretur, si uideremus nos non opibus, non gratia, non auctoritate Florio inferiores, nunc ab eodem haud alia re, quam nugis uerbulisque collectis reuictos? quin iudicate potius, quod sonus uerbi simplex, quod loquentis mens quibuscunque uerbis potentior, quod denique familiarum ratio, quæ opibus, copiis instructæ non solùm singulis, sed uniuersæ ciuitati sunt ornamento, uos suadent ac impellunt, ut iudicetis.

Multa iam dicta sunt Iudices, plura forsitan prætermissa, quæ adiici potuissent. Veruntamen si eos, qui calumniosè instituunt lites, fas est superiores à Iudicio discedere, nullus fructus orationis meæ erit, etiam si longior fuerit.

rit. Sin autem calumniantes odisse soletis, & ad uos pertinere putatis iusta decernere, quid opus est alia quædam addere, equidem non dubito Iudices, quin uobis satisfecerim, atque adeo omnem dubitationem è mentibus uestris præciderim. Nam quum Henrietus dotem Leonora ducta pro filiis sumpserit, & illius partem Marcella una ex Henrieti liberis efflagitet, ostendi deberi uirili non muliebri soboli, quum uerba pro filiis concepta masculum sonum efferrent. Interrogaui utro ex genere esset Marcella, quam se ipsam faceret & diceret? quid se fœminam masculis commisceret, præsertim inuocatam? Et quum ex aduerso disceretur, filiorum commune esse nomen, & ad filias æquè spectare, falsum id esse docui, & ridiculum uideri latinè intelligentibus, sed an uirile genus ad diuersi generis formas se proferret, positum semper fuisse in sententia & mente loquentis aut scribentis: illam tanquam Iudicem & moderatricem modo uirile uerbum protendere, modo contrahere, ut muliebris species uel admittatur, uel repellatur. Florium nihil eiusmodi docere: non testibus, non tabulis, non graui aliquo argumento confirmare, quod idem de filiabus auus communis senserit, quod protulit de filiis. Addidi etiam nefas esse in diligenti scriptura à Iuriscon. confecta quicquam prætermissum arbitrari, uel si quid esset prætermissum, non uerbum masculos, quod addendum ad enuntiatum filiorum nomen non fuerat, quum id genere suo significaretur, sed filiarum nomen prætermissum, de illis in tam ampla contractus formula nullam mentionem habitam. Ne Henrietum quidem quum uigilanter utrunque numerum enuntiasset, adduci potuisse, ut utrunque genus pariter proferret, quin ut istas repelleret, non prolem aut sobolem nuncupasse, sed filios, & in his stipulationis formulam constitisse. Tum commonefacti estis à me Iudices, quantum periculum, uel potius quantum exitium immineret omnium fortunis, si uerba, quibus humanæ mentis cogitata efferuntur, relinquimus, & leuem potius conjecturam uel suspicionem insequimur. Itaque quum nihil Florius habeat, cur Henrietus filias in hoc contractu admitti uoluerit, quas testamento ab hæreditate repulerit, quid aliud restare illi, nisi, ut tabulas capiat, & filiarum nomen ipse manu sua ascribat? quum parum intersit an literis à se confectis id probari uelit, an re ipsa uoceque defendat. Et hæc quidem si literarum sequi uelimus, dicenda uidebantur, in qua disertè scriptum fuerat filios, sed quia Signorius fortasse potuisset dicere: noli tam angustè mecum agere, noli nimium superstitiosè singulos literarum apices obseruare. Mos iste Iudæorum est, qui in literæ corpore occupati spiritum eius cæci ac motum interiorem non uident, eo quoque rem deduxi, ut literæ spiritum, idest, quæ in consilio scribentis fuerint, spectare possetis. Et ne pluribus uos teneam replicando, quæ postremo loco diutius disputata animis sunt uestris (ut arbitror) penitus infixa, summa sit hæc; & ueluti totius calculi subductio. Henrietum prudenter & rectè in contractu pro filiis stipulatum, quos testamento hæredes omnium instituebat, quod ut faceret, peritum uirum consuetudine admonitum, ingeniosum, ratione edoctum. Vos uos Iudices uestro sensu, uestris mentibus, uestris cogitationibus duci potestis, ut cognoscatis neminem esse tam ferum aut ferreum, qui nolit genus

suum

suum amplium esse, atque potens, & ornatum: gratum, si fortuna largitur, gloriosum, si uirtus efficit: qua ratione dignoscitur stirpem uirilem, in qua totius generis status consistit, ad fortunæ bona idest ad generis ornamentum rectè uocatam. Sunt enim argumenta ista præualida, quæ paulo ante fusè deducta, nunc aceruatim effundimus. An quum plerique prudentes uiri & strenui ad agnatos magis, quàm ad filias sua deferant, domus honorem cogitantes, ipse filiabus filios non præferret? & quam familiam uiuens industria laboreque suo extulisset, hanc decedens opibus firmare nollet? & quod cuncti faciuut, qui ad masculos suus deferunt, id unus omitteret? & quod infimis etiam curæ est, ne posteritas sui generis paupertate defcat, id uir singulari sapientia præditus negligeret? Dixi etiam, quod si placeret scriptum omne tollere, ac abiicere, perinde ac si nihil in isto contractu dixisset pater de filiis, sed ueluti pro se tantum stipulatus esset, filii tamen hæreditario iure possiderent pecuniã petitam, neque ullo modo possent repelli, quum iudicio patris ex testamento ad omnia uocari essent, uel illo sublato sanctione legum ab intestato. Itaque apparere perspicuè filios in tali contractu à parente nuncupatos, ut illis amplius prospiceretur, non ut quicquam illorum iuri derogaretur. Tum à nobis illa tua omnia Flori deleta sunt, quum ostendimus naturam non uiolari, si bona ad uiros fortes & laborum patientes deuenirent potiusquam ad fœminas umbraculis tectorum assuetas, neque pecuniam donationis, sed dotis nomine traditam, neque à Benedicto stipulationem, sed ab Henrieto interpositam, ut qui nullis ex se & Leonora exrantibus filiis, priori suæ soboli prospexerit, cui nulla esset cum Benedicto sanguinis communio. Ad extremum magnum illud & graue argumentum uoluntatis paternæ protulimus, qui pecuniam hanc in feudalia prædia collocasset solis maribus dicata, atque eo consilio, ut mihi uidetur, ne hi quibus res iudicanda esset, possent de eius mente dubitare, & quo facilius aliquem Florii similem iniquo iudicio lacessentem ualerent repellere, præsertim si cæteri propinqui, quorum eadem esset causa, pudore, modestiaque adducti quiescerent. Hæc omnia ostendi Iudices, nec uideo quomodo potuerit apertius ostendi Florium nullo iure agere, quam dum ostendo, & uerba & sensum scribentis pro nobis stare, & contra illum facere: nihil horum, quæ dixi infirmari ac diffingi potest. Postremo, quoniam properanti mihi ad clausulam non libet insistere, obsecramus uos Iudices, ac precibus omnibus rogamus, ut eum, qui aliena petit, constanter ualidèque iudicio uestro repellatis: nobis fortuna paterna, atque auitas conseruatas uelitis, atque ita rogamus, si degeneres non uidemur, si maiorum nostrorum facta instaurari per nos renouarique cognoscitis, ut illi existimari possint ad domesticos suos hæredes quæcunque habuerint & possiderint, meritò transtulisse.

MARCI

MARCI ANTONII

NATTAE ASTENSIS, IVRISCONSVLTI PRO NOVO TRIVMVIRATV ROTAE MANTVANÆ ORATIO,

HABITA IN ÆDE DIVI PETRI

QVINCTO IDVS OCTOBRIS.

M. D. LVI.

CONSVEVERVNT Viri Mantuani quicunque magiſtratum ineunt, & qui pro his uel ad hos orationem habent, Iuſtitiæ laudes & ornamenta pluribus uerbis commemorare: neque tamen quiſquam tam uberi, tamq; fœlici fuit unquam facundia, tamq; abũdanti ingenio, ut tantæ rei maieſtatem & amplitudinem potuerit dicendo exæquare. Plures in eam partem oratione feruntur, ut oſtendant quid efficiat hæc tanta uirtus, & quantum emolumenti & utilitatis per eam tum ſingulis hominibus, tum uniuerſis populis importetur. Pauci quidam originem eius attigerunt, atque adeo uiderunt; quæ tamen antiquiſſima eſt omnium & generoſiſſima, ut omnino prætermittenda non uideatur. Enimuero ſi Iuſtitia eſt æqualitas quædam, unicuique rei apta ac propria diſtribuens, hæc ſumma eſt in Deo, imò ipſa Iuſtitia eſt Deus, regula & menſura iuſtorum omnium. Eſt enim Dei ſapiens uoluntas, quæ lex Iuſtitiæ dici poteſt. Itaque quicquid facit quemadmodum uult, iuſtè facit, ſicut nos quoque, dum præſcripta legum ſequimur, iuſtè facimus: hoc tamen intereſt, quod nos legem alicuius ſuperioris ſequimur, Deus autem ſibi ipſi lex eſt. Iuſtus eſt autem ille non in emptionibus & uenditionibus, locationibus & conductionibus, depoſito, mutuo, permutationibus, & aliis commercijs, quæ inter homines geruntur, ſed in diſtribuendo unicuique rei quod debetur. Debetur autem unicuique quodcunque ei maxime conuenit. Veluti (ut exempli cauſa aliquid inſeram) homini tanquam ſapienti animali debetur manus, debetur quod eidem reliqua animalia rationis expertia ſeruiant. Ergo homini iuſtè manus datur ingentium artifex operum, & iuſtè datur in cunctas beluas dominatus, idque adeo latè patet, ut Ariſtoteles & quicunque philoſophorum præcipui dixerint, homines, dum uenantur feras, iure ſuo in eas uti. Quis præterea proſpiciens cœli magnitudinem, obliquamque ſignorum texturam, & motus ſub illis actos, & terram in medio iacentem, & fluctuantis pelagi ſpeciem, non intelligat hæc à Iuſtitia quadam ſingulari profecta? quæ ſingulis quibuſque tribuerit, quod tribui oportebat? Omnia denique quæ in hac tanta mundi mole & hoc præclaro uniuerſitatis ſpeculo tam aptè congruèque diſpoſita conſpicimus, hæc nobis palàm Iuſtitiam diuini numinis teſtantur. Nihil hic inordinatum incomptumque reperietur, nihil non clauſum ſuis numeris & menſuris: nihil non propriis ſe-

dibus

dibus compositum, nihil non congruis naturæ suæ motibus distinctum. Omnia uidemus certis currere passibus, nulla destinatos fines egredi, alienisque incumbere. Hic fons est, hæc origo Iustitiæ, quam homines seruare debent, quæ ipsis simili ratione præscribit, ut suo contenti sint: manus, oculos, mentem, ab alienis contineant: nihil uelint, appetant, sequantur, nisi propria, nisi naturæ conditioniq; humanæ congruentia. Hoc ubi fit, nihil fieri contingit gratius cœlesti parenti, cuius diuinæ Iustitiæ legem seruant, mores imitantur. Hinc homines Iustitiam colentes non tam decet summis uiris comparare, quàm Deo simillimos iudicare. Similitudo enim nobis proposita est non ad homines, sed ad Deum. Quid interest? hoc sci licet quod ea, quæ ad alios homines est similitudo, perinde se habet, ac si imago imagini assimiletur, hæc autem, quæ ad Deum est, ipsum uiuum sp iransq; respicit exemplar, à quo etiam proficiscitur. Maximè autem conuenit principibus, quos idem Deus populis præfecit, curæ esse ut unicuique quod debetur tribuatur: Eadem curare debent Iudices & Magistratus, quos illi constituunt. Etenim remota Iustitia quid sunt aliud regna quam magna latrocinia? quanquam ne latrocinia quidem ipsa subsisterent, sine aliqua particula Iustitiæ: nam Archipirata ille, uel lattonum dux, nisi æqualitet prædam dispertiat, necesse est à sociis deseratur uel occidatur. Denique (ut semel finiam) nihil in omni tetum natura, cum Iustitia conferendum uidetur. Quid enim melius prouidentia, pace, concordia, pulchritudine, sapientia? Hæc omnia Iustitia una complectitur. Nam in animo humano locata, sapientia: In corpore, pulchritudo: In domo, concordia: In ciuitate, pax: In mundo, prouidentia nuncupatur. Hæc & talia quædam considerantes Illustrissimus Gulielmus amplissimæ huius ciuitatis Princeps, sapientissimusq; eius patruus Hercules Gonzaga, purpureo insignis Galero, & sanctissima fœminarum omnium Margarita Paleologa mater, quorum animi pro publicis assiduè excubant utilitatibus, Magistratum hunc nouum constituerunt, quem qui gerunt, Auditores Rotæ uulgo nominantur, propterea quòd in orbem sedentes, singulas controuersias rotant, atque examinant. Factum id à Principibus prudentia & consilio singulari. Nolentes nanque controuersias ciuium diutius trahi, & à tribunalibus ire ad tribunalia, supremum hoc tribunal erexerunt, ubi tandem omnis solicitudinis finis inueniatur, prouocatione omni sublata. Vnico Iudicio plurimæ controuersiæ diffiniuntur, uerum non unius hominis iudicio, sed multorum, quandoquidem uix fieri potest, ut non ad ueritatem magis accedat, quod plurium ore fuerit comprobatum. His duabus rationibus firmissimis atque potentissimis, Magistratus hic emersit, huic ciuitati antea incognitus: non enim parua res controuersias ciuium celerius & tutius terminari. Delegerūt autem huic magistratui gerendo duos hos, quos mihi proximos uidetis: Ludouicum Blanchum Mutinensem, Petrum Georgium Vicecomitem Mediolanensem, uiros iuris peritissimos, & in aliis magistratibus iampridē exercitos. Me quoq, quem Illustrissimæ suæ familiæ astrictum nouerant, à subalpinis usque regionibus euocarunt, & me tertium in tanto munere esse uoluerunt. Quantum sit, magistratum gerere, eum præsertim, qui iuri dicen

do

do præſit, illud indicat, quod ueteres ſapientes id maximum ac pulcherrimum Reip. munus exiſtimabant, quòd magiſtratum, legem eſſe loquentẽ, & legem, mutum eſſe magiſtratum dictitabant. Omnis enim legum uis & poteſtas in magiſtratibus poſita eſt, quarum iuſſa illi exequuntur, & (ut prudenter ſcriptum eſt in libris noſtris penes Pomponium iuriſconſultum) parũ eſt ius eſſe in ciuitate, niſi ſint, qui iura reddere poſſint. Sed quid hæc perſequor? Ipſe ille ſummus & omnipotens Deus, qui nutu orbem temperat, cuius uultum trepidant uniuerſa, qui eſt ſuper omne pulchrum & quodcunque dicitur optimum. Ille tantus, tanti Iudices facit, ut eos communi dignetur nomine, & Deos uocet. Noſtis quicunque diuinas tractatis literas, quemadmodum in lege ueteri quam ex Dei ore in monte Moſes excepit, ſcriptum ſit; in accuſatione furti & damni eundum eſſe ad Deos, qui de re cognoſcant, & iudicent, & ubi damnauerint, dupli pœna reum afficiant. At hoc non ſatis, ſed tanquam parum eſſet tanto illos donatos nomine, addit idem Deus in eiſdem literis, ubi iuſtè iudicarint, nec ad perſonam reſpexerint, non illos, ſed ſe ipſum iudicaſſe. O dignitatem Iudicum admirandam, quæ rantopere diuino eloquio fuerit commendata. Quamobrem optimi collegæ maximæ ſecundum Deum habendæ gratæ principibus, qui tanto nos uoluerint honore decorare. Ego uerò ſi mihi detur optio, qua in urbe, ſub quibus principibus, quosue inter ciues magiſtratum gerere uellem, non alia magis optarem, quàm quæ teneo. Gerendus mihi nanque eſt magiſtratus in Mantuana urbe, quæ & uetuſtate originis, & ædificiorum pulchritudine, & agrorum feracitate, & aquarum illuuione, & munitionum firmitate, nulli Italicarum urbium cædit. His porrò dominantibus quorum generis nobilitas maxima, Magnitudo animi inuicta, Liberalitas egregia, Sapientia ſumma, exactiſſimum denique cunctis in rebus iudicium. Nempe inter eos ciues, qui magiſtratus reuereri & eorum edictis facilè parere aſſueuerunt. Ferunt ueteres aurea in ætate, quæ exordio humani generis Saturno regnante contigit, nullas ferè controuerſias inter homines aut paucas admodum extitiſſe, & quæcunque erant, facilè ſublatas fuiſſe. Ius Principes, Aequitas priuatos continebat, & ut cecinit inſignis Poeta in Faſtorum libellis.

> Proq; metu populum ſine ui pudor ipſe regebat:
> Nullus erat iuſtis reddere iura labor.

Verum quum poſterius humanas mentes inuaſiſſet libido, & duri & aſperi, & planè ferrei mores inualuiſſent, tradunt Iuſtitiam, quæ inter homines uerſabatur, profugiſſe, & ad cœleſtem parentem remigraſſe, accuſantem, quæ tunc fiebant in terris, nec ferentem ab impiis illudi ſe, diutius & contemni. Hinc Germanicus Cæſar in Arateo carmine, ubi commemoraſſet iniquitatem temporum, inquit.

> Deſeruit propere terras iuſtiſſima uirgo,
> Et Iouis in Solio, patriq; innixa reſedit.

Et alius ad eandem canit ſententiam.

> Victa iacet pietas, & uirgo cæde madentes
> Vltima cœleſtum terras Aſtræa reliquit.

At

At Virgilius uester lumen ac decus Poetarum, qui mirè ciuitatem hanc ingenio suo exornauit: Is uaticinatus est Iustitiam profugam olim, & expulsam, redituram aliquando ad terras, illo carmine:

Iam redit & uirgo, redeunt Saturnia regna.

Optimè elegans Poeta hoc præcipuo uirginis nomine Iustitiam notauit, quod eam integram, incorruptam, inuiolatam, ab omni libidinis labe puram, & intactam esse oporteat, sed quod uaticinatus est ille fore, ut rediret, hoc & multo antea, & nunc maximè Deo benefauente huic suæ patriæ contingit. Non dicetur, nunc hanc pulcherrimam uirtutem ad superos id est ad originem suam abiisse, sed hic planè habitare inter nosque uersari. Habemus nanque Principes æqui bonique studiosissimos, qui possint & uelint uirtutem præmiis augere, improbitatem suppliciis coercere: Magistratus dati, qui citissimè controuersias finiunt, & ius suum cuique impertiant; his nixos decet bene confidere, & expectare fecunda. Ego clarissimè uir tibi, qui Principis uicem geris, & cuncto huic populo pro me proque collegis meis polliceor, recipio, spondeo, neque facilitatem in causis audiendis, neque solertiam in examinandis, neque æquitatem in sedandis, neque fidem in diffiniendis nobis defuturam: nullos nos labores nec uigilias recusaturos, quo magis possimus cum omni laude & dignitate, munus nobis iniunctum explere, quemadmodum etiam ab optimis principibus efflagitatur, & communis ciuium utilitas deposcit: Primi omnium nos hunc magistratum capessimus: dabimus operam, ut primas quoque in omni genere laudis partes feramus, & insigne aliquod successoribus nostris integritatis, innocentiæ, diligentiæque nostræ exemplum præbeamus, ut hinc discedentes uestram beneuolentiam auferamus: Vobis autem iucundam & diuturnam nominis nostri memoriam relinquamus. Omnia denique agentur, quæ à Iudicibus honestatis studiosis, & existimationis bonæ cupidis, expectanda uidentur. Clarissimus uir Nazatius Scopulus habuit nuper Orationem luculentam & ornatam, omnibus artis tinctam coloribus: hæc (si rectè animaduerti) quadripertita fuit, nam institutionem huius magistratus attigit, Iustitiam collaudauit, Principes meritis extulit laudibus: Postremo conuersa oratione ad me, collegasque meos, ad Magistratum rectè gerendum cohortatus est, perscribens etiam quodammodo, quemadmodum rectè geri possit. Verè cuncta & præclarè exposita fuere, & longè planius & diligentius, quam ipse fecerim. Nam quantum ad cohortationem pertinet, hæc inuenit nos iam paratos, nec ingratum, quod currentibus calcar addidit. Hic tamen est quiddam quod ad me unum spectat. Sunt enim nonnulli, qui (ut audio) uerentur, ne minus commodè huic magistratui satisfacere possim, propterea quòd audierunt me aliis quoque intentum disciplinis. Hæc mihi purganda suspicio est, & id cuiusmodi sit, ostendendum. Video enim maximam multitudinem huc confluxisse, & alienum meis rationibus duco, quenquam de me non rectè opinari. Ego humanarum artium me non omnino rudem esse fateor: quin profiteor me talia ab ineunte ætate studiosè consectatum: Præcipuam tamen operam, & ferias (ut aiunt) Lucernas in ius ciuile impendisse dico. Vt enim si quem delectet peregrinari,

& diuersarum gentium ritus & mores inspicere, huic tamen optimum fuerit in splendidissima ciuitate domicilium collocasse: Sic ego quum per multorum literas peregrinarer, studiorum meorum tabernaculum in iuris scientia defixi, quam præstantissimam omnium iudicabam: Quid enim? Num aut Medicinam, aut Physicam, aut Dialecticam, aut Astrologiam, aut reliquas Mathematicas artes cum iure ciuili possum conferre? Certè nec dignitatis splendore, nec utilitatis ubertate conferendæ uidentur. Itaque è iure ciuili omnem laudem & dignitatem peto: e reliquis leuioribus studiis oblectationem animi & remissionem: Ea mihi pro alea, ludis, conuiuiis, spectaculis, substituta puto, in quibus alii ocium suum terunt. Ac fuit aliquando tempus. quo me eloquentiæ studia uehementius detinebant, & poteram calentibus etiam num Rhetorum studiis aliquid efficere dicendo: Hinc orationes nonnullæ & Philosophica nescio, quæ, sub meo nomine exierunt, quæ à multis inspecta & lecta arbitror. At iam omnes illæ meæ uires exaruerunt. Equidem si iunior essem, & calidus adhuc mihi sanguis circum præcordia ferueret, uoluissem initio huius noui magistratus capessendi lectissimum hunc literatorum uirorum conuentum nouo quodam argumento detinere: Conatus essem in uacuo uestigia figere, & (ut Flacci uerbis utar) insigne aliquid, recens, & alio ore indictum promere: neque alius facilè quisquam oratione sua me superasset. Nunc me tanto bono orbat aduentans senectus. Nunc ætate languidus meditandi diutius laborem non fero.

Multa senem circunueniunt incommoda.

Vt ille inquit in Satyra. Quapropter tritas & multorum antea orbitis impressas semitas calcauimus, idque ut ignoscatis peto: Ea tamen quæ initio orationis meæ repetito altius sermone de origine Iustitiæ dixi, ne inanis omnino esset oratio mea, à cunctis comprobatum iri confido.

MARCI

MARCI ANTONII

NATTAE ASTENSIS,

POST ABSOLVTIONEM GESTI MAGISTRATVS, ORATIO.

ORNATISSIME Cætus, de his, quæ nuper gesta sunt, non attinet me quicquam commemorare, dicã tantum nonnulla ad Orationem Bartholomæi Chiaponi insignis Iuriscon. qui nuper perorauit. Ipse multa in oratione sua de laudibus meis posuit, quarum ego nonnullas agnosco, eas scilicet, quæ ad mores attinent: has enim studiosissimè sequutus sum, reliquas, quæ in ingenii robore & magnitudine uersantur, non audeo mihi uendicare, ut potè, qui sæpius cum natura rerum omnium parente conquerar, quod parca manu opes in me suas diffuderit. Tametsi huic repugnare fas non sit, sed quod contulit grato animo excipiendum. Veruntamen iste facundissimus Orator tam peritè, tamq; aptè de me omnia illa, quæ nuper audistis, exposuit, ut me penè deceperit, ac suaserit, quæ scio uera non esse, ac nisi mihimet ipsi bene essem cognitus, eo deduxisset cantu Orationis suæ, ut me magnum aliquid esse arbitrarer, nec assentari ipsum uoluisse existimo, sed errore lapsum, qua in re non solùm eloquentiam, sed egregium etiam animum suum patefecit: nam quemadmodum si laudaret quispiam aliquem ex diuitiis, non aliò respiciens, quam ad diuitias solas, is profectò ostenderet se diuitias amare, & de illis quasi totus pendere: siue diuitias ille habeat, siue non habeat. Similiter, qui uirtutes in altero laudat & admiratur, Clarè indicat se uirtutum amore teneri, easq; plurimi facere: siue illarum uirtutum ille sit compos, seu penitus expers. Spectatur enim, quod in opinione sua fuit, non quod in re est. Quamobrem, Bartholomæe quod laudes, quas meas esse credebas, in me nuper effuderis, id tibi laudi sit & honori. Ostendisti adhuc iunior quanti egregios mores, quanti studia literarum penderes & rectas disciplinas. Mihi uerò aptari quo modo possunt? qui sentio me non tot & tantis ornamentis abundare. Extremæ nequitiæ est nihil unquam laude dignum gessisse, quum improbi etiam homines plura edant laudabilia. Hinc ille inquit in epigrammate:

Quid Nerone peius?
Quid thermis melius Neronianis?

Virgilius uester Busiridem illaudatum uocat, graui & atroci uerbo sæuum & immitem Tyrannum percussit, quem indicat nulla laude dignum. Ergo si laus appetenda est quædam, satis habeo, si ita lauder, ut unus è multis, magni magna merentur. Summæ illæ laudationes summis debentur ingeniis: quæ Deus optimus ueluti luminaria ingentia ad depellendas inscitiæ tenebras de mortalium pectoribus accendit. Ais me eloquentia esse summa, qui si antiquis conferar Oratoribus, uidear, ut anser inter argutos olo-

res obſtepere. Ais me uariis inſtructum eſſe artibus & diſciplinis. Vtinam eſſem. Conatum adhuc uideo, profectum nondum uideo. Inter delectiſſimas artes, mihi ſemper prima fuit iuris ſcientia, huic potiſſimum incubui, nonnullas alias per ocium peragraui, refugiens in eis rudis omnino & hoſpes uideri, nec tamen quod animo petebam aſſequutum puto. Itaque nihil eſt, quod de his magnopere ualeamcommendari. Paucis datum, ut potuerint legitimum illum diſciplinarum orbem peragrare, & in eo principatum tenere: quicunque autem potuerunt, magnum nomen ſummam exiſtimationem ab omnibus retulerunt. Talis Plato fuit, talis Ariſtoteles, & è ueteribus Iuriſcon. Paulus, Iulianus, Sceuola, Papinianus, & plerique alii. Hoc & tale ingenium ſi haberes. Bartholomæe ad laudationem propoſitam, poſſes iure de eo diù dicere, facilè quilibet tibi concederet, ut in eius laudibus totum abſumeres diem: at ego, quæ paucorum ſunt, mihi non arrogo, quantus ſim ſpecto, & quum paruus ſim, non patior me longis æquari, ſicut enim corporis umbra; quæ nunc longior, nunc breuior eſt, nihil confert ad iuſtam corporis menſuram, ita ad extimandam ingenii facultatem, nihil conferunt alieni ſermones, qui quandoque meliores ſunt, quandoque deteriores: Non igitur his attolli conuenit, non his etiam deiici: illud conuenit, ut ſuo quiſque modulo ſemetipſum metiatur. Itaque nihil eſt, quod de his magnopere ualeam commendari. Quid quod humana omnia manca ſunt & imperfecta? Vt enim optimo ſit aliquis animo in re gerenda, intendatq; diligentiam, non tamen chorda remittit ſemper eum ſonum, quem manus poſtulat & mens.

> Nec ſemper feriet, quodcunque minabitur arcus.

Vt eſt apud Horatium. Idem Poeta conſiderans humanæ naturæ imbecillitatem, eiusq; miſeratus conditionem concedit quodammodo leuia peccata, dum inquit.

> Non ego paucis
> Offendar maculis: quas aut incuria fudit,
> Aut humana parum cauit natura.

Laudatur Apellis uerecundia, qui opera ſua etiam ea, quibus ſupremam impoſuerat manum, pendenti titulo inſcribebat. Inſcriptio autem erat. Pingebat Apelles, quaſi adhuc opus eſſet in curſu, & in eo aliquid deſiderari poſſit. Quis denique omnia ſe impleuiſſe glorietur, ad quæ eum propoſiti operis ratio uocat? Quum mirè ad ſe alliciat ſegnities, multa improuidam capiant mentem, ueritas pluribus obducta ſit integumentis, magnaque ſit ſenſuum in deteriora procliuitas, optimus ille habetur, qui paruis leuibusq; urgetur delictis, nam ut nullis, ne poſtulandum quidem: non enim ab re dictum eſt Sapientis ore, Septies in die cadere iuſtum. Ego locum illū ſuperiorem, ſine quo populus non regitur, nunquam appetiui, delatum uix ſuſcepi, in quo me ita gerere conatus ſum, ut in multis decretis nulla iniuriæ eſſet ſuſpicio. Quod ſi pro humanæ imbecillitatis more, non exactè omnia, & (ut aiunt) adamuſſim adminiſtraui, humanitatis ueſtræ erit ignoſcere. Si quid autem rectè geſtum eſt, ad Deum referatur Auctorem bonorum omnium largitorem, qui mihi animum eum contulit, ut uelim prodeſſe omnibus,

bus, obesse iniuria nemini. Huic uni omnis laus & gloria debetur, qui si etiam omnium gentium Angelorumq; linguis, si rerum creatarum omnium sensibus summè laudetur, maior adhuc omni laude inuenietur. Et hæc mihi quidem, ita se habere uidentur. Est etiam aliud quiddam ad uos pertinens, quo ego maximè delectabar in ipsa huius mei muneris functione: id cuiusmodi sit iam aperiam. Difficile est his locis magistratum gerere, ubi ciues ad ium, ad ferrum, ad uulnera, ad cædes parati. Ciuilium odiorum, rixarum, discordiarum plena omnia, armatæ uolitant factiones, decretis & iussis magistratuum contumaciter obsistitur, quæ in plerisque Italiæ oppidis contingunt, necesse tunc est magistratibus humanitate penè omni abiecta uincula, exilia, egestatem, ignominiam, uerbera, mortem ciuibus frequentius inferre, omni denique pœnarum genere aduersus improbitatem pugnare assiduè, ut ea latè uagans coerceatur. Dura sanè necessitas & nequaquam fœlix, quæ ad id impellit: horrenda species, ubi uulnera uulneribus, cædes cædibus, rapinas ablatione bonorum uideas purgari. Næ mihi tum, ubi hæc accidunt, libeat non solùm iudiciaria fungi potestate, sed ne priuatim quidem degere aut penates collocare. At ea est in uobis uiri Mantuani morum elegantia, ea animorum concordia, eaq; aduersus magistratus reuerentia & in patendo facilitas, ut quilibet penes uos in magistratu positus possit facilè & libenter quæ sui sunt muneris obire. Nullæ hic seditiones, nullæ ciuiles discordiæ, pacata omnia, siue id cura & prouidentia contigerit superiorum Principum, siue cuiusdam benigni sideris afflatu, seu (ut magis opinor) naturali quadam animorum uestrorum ad quietem propensione, qua in re fœlicitatem uestram præcipuam duco. Non etiam pro magnitudine ciuitatis, multos hic priuatim delinquere uideo: quanquam si duo tres ue tantum inuenirentur improbi, nimis esset, quoniam neminem talem esse oporteret. At quid in forensium controuersiarum tractatione? quantus in causarum patronis pudor? quæ in pragmaticis modestia? quàm aptè & scitè, & loco iura clientum suorum tuentur? quàm facilè apparet nolle eos uictoriam, nisi eam, quæ legibus obtineatur: nam leges uincere tum nefarium est, tum ne ipsis quidem utile, qui uicetunt, nam improbo homini bu ius uictoriæ auido nihil uiuo mortuo ue fœlix contingere potest. Quamobrem pro uestris humanissimis moribus me uobis plurimum debere profiteor, quod ex eis mihi hæc prouincia leuior reddita, ueluti non obsistente, sed cedente materia in quemlibet artificis usum. Quid illud, quod me ingenuarum artium cupidum uobis maximè conciliat? quod ex uobis uideo plurimos musarum studiis teneri, protulit hæc ciuitas omni tempore uiros Poeticò ingenio summè decoratos. Silius inter Poetas præcipuus Mantuam uocat musarum domum. Quod mihi non in unius Virgilii gratiam prolatum uidetur, sed quod tempestate illa extabant plures hinc oriundi, qui summa cum laude poeticam exercebant. Sed quid uetera? quum nuper penes uos exstiterit Baptista Carmelita Theologus, qui tam diuitè fluxit uena in pangendo carmine, ut illud ei meritò aptari possit.

Quicquid conabar dicere, uersus erat.

Cuius uos uiri memoriam more ueterum in statuis & picturis & imagini-

bus celebratis. Sed ut Poetas omittam, quos habuisse fœlicitatis est: nam cæterarum rerum studia dicuntur disciplina, præceptis & arte constare. Poetas uerò perhibent natura ipsa ualere: nec nisi sacro quodam furore correptos & ueluti afflatos posse graue plenumq; carmen ducere. Vt hos inquam omittam, quorum numero abundatis, quantum est in hac urbe Iurisconsultorum, Theologorum, Medicorum, Rhetorum, Philosophorum, Mathematicorum? Nihil est in magnis ingenuisq; artibus, tam arduum, tamque implicitum & tam abditum, tamq; deuium, quod hic inauditu intactumq; inueniatur. Hanc tantam in omni rerum genere prudentiam, quum penes uos esse uideam, fieri non potest, quin uniuersos beneuolentia singulari prosequar, atque omni cogitatione amplectar. Alius extollens hanc ciuitatem prædicaret aurata superbaq; tecta, ingens argentum mensis, & in templis cubiculisq; pictas, cœlatasq; effigies mollissimè ductas ac penè spirantes, magnifica Sacerdotum habitacula, & longissima strata uiarum: Iactaret firmissimum murorum uallum, adderet copiosam mercaturam, uiriditates hortorum, fœcitatesq; camporum, fœtosarum lanosarumq; pecudũ prouentum, nobilium equorum creationem uentos fuga æquantium, & si qua alia sunt huiusmodi gratissima fortunæ munera: & si altius uellet repetere, commemoraret uetustam ciuitatis originem, & potentiam: & hic ueniret in medium Ocnus ueterum Heroum unus.

Fatidicæ Mantus, & Thusci filius amnis.
Qui muros, matrisq; dedit tibi Mantua nomen.

Vt olim inter duodecim Etruriæ populos fuerit adnumerata, quibus singulis singuli præerant lucumones, atque ipsa omnium populorum caput esset, quemadmodum idem ille uester elegantissimè cecinit, quæ ego omnia, & si non despicio, sed suspicio potius, attamen istis disciplinarum liberalium studia longè antepono, sicut æquum est animi bona externis præhonerare. Iã uero illa non terrena, sed cœlestia quis dixerit esse bona, propterea quod animorum uestrorum pietatem & religionem possunt incendere, quod preciosissimum Christi sanguinem, quem pro nobis in cruce effudit, possidetis, multis coruscantem miraculis, summorum Pontificum auctoritate cõprobatum: nec non Venerabiles alias sanctorum uirorum reliquias tenetis: imprimisq; Longini, qui lancea Christi latus aperuit, & hac in urbe pro eius nomine animam profudit, si profundit tamen qui seruat, & ad uitam melio rem transmittit. Hac in urbe ueluti religionibus dedita & rerum omnium refertissima, & opportuno sita loco, conuentus indictus est Christianorum omnium sub Pio secundo Pontifice maximo, dum Constantinopoli amissa iniretur ratio aduersus Turcam belligerandi, & sæuum sacrilegumq; hostem comprimendi. Hæc eadem urbs genuit Gonzagas Principes belli & pacis artibus claros, & qui nunc dominatur Gulielmum maiorum uirtutibus iam egregiè respondentem. Hæc quum præclarissima sint, possunt alienigenarum beneuolentiam erga uos conciliare: Est enim insitum unicuiq; ut splendore alienorum bonorum commoueatur. Illud maius, quod uobis stimuli quidam iniecti sunt ad capescendas uirtutes, quum turpe sit socordiæ & libidinibus indulgentem dedecorare auctoritatem urbis, in qua genitus est, &

& nihil præstantius, quã ubi ciues ornatæ patriæ artibus suis sunt ornamento, nam tunc ueluti mutuo lumine utrinque sulgente & ciues patriam, & patria ciues illustrat, Sed ut iam concludam Orationem, quæ fortasse longior fuit, quam fert consuetudo. Ego Viri Mantuani pro honore, quo me in magistratu prosequuti estis, & quod illo exeunte frequentia comitatuque uestro nunc cohonestastis, gratias, quas possum maximas, habeo & ago: non discesu hinc meo beneuolentia mea à uobis discedet, sed quæ me cunque uocent terræ, ea mecum perpetuo manebit: nulla illa locorum, nulla temporum intercapedo excludet. Quid possim nescio, uel parum porius me posse sentio. Sed quantuluncunque idest, quod mihi uel natura uel fortuna tribuit, id omne, si commodis uestris paratum & intentum existimaueritis, & uos rectè existimasse, & hac uestra existimatione de me quoque bene promeritos iudicabo. Acta Mantuæ IIII. Cal. Octob. M. D. LIX.

MARCI ANTONII NATTAE ASTENSIS,

DE CHRISTIANORVM ELOQVENTIA LIBER.

CRISTIANI hominis multi esse negant eloquentiæ studia sectari, quia nimium uoluptatis auribus tribuatur. Ego uerò puto non ad aurium lenocinium, sed ad mentis sensus rectè & commodè explicandos dicendi artem fuisse excogitatam, quia hac ratione utilior sermo auditoribus fore putabatur, qui si primo loco utilitatem captans, assequitur deinceps sponte sua, & ex rei ipsius natura, ut sit iucundus, non ideò minus gratus esse debet. Vt enim uoluptas sensuum, quæ inanis sit, nihil habens aliud, nisi quod est uoluptas, forsitan sit repudianda, attamen ubi fructuosa est & ab utilitate quodammodo accersita uenit, ut fit in cibo & potu, ne à sanctis quidem uiris repudiari meretur. Natura autem ita comparatum est, ut unumquodque, quo magis dilucidè, magis distinctè, magis propriè, magis illuminatè dictum fuerit, eo amplius delectet. Ruditer uerò & incompositè & dissipatè dicere, præter id, quod odiosum est auribus & ingratum, ne fructum quidem ullum fert in uulgus, quia ea non suscipit, nec admiratur, nec intelligit, aut omnino intelligere curat, deterritus obscuritate uerborum & sententiarum. Cur autem Christiani hominis esse dicunt, quod ab omni elegantia abhorret? imò illud requiro potius, cur ampla hæc & splẽdida dicendi facultas gentibus concedatur, unis Christianis auferatur? An quia plures ex illis eloquentes, Christianorum nemo. At non inter gentes emicuerunt, sed ipsa Christianæ religionis fuerunt lumina ac propugnacula,

la, Hieronymus, Gregotius, Ambrosius, Cyprianus, Leo, Basilius, Bernardus, quos nemo negat, tum cæteris artibus, tum dicendi facultate floruisse. Videbant nanque bomines reliquis animantibus antecellere sermone, quo illa carent, nos minimè caremus: absurdum porrò uidebatur id, quo bestiis superiores sumus, incultum inexpolitumq; dimittere, ac non curare, ut istud oris instrumentum, quod proprium est hominis, quàm commodissimè se habeat, & luculentissimè. Itaque hi, quos nominaui, operam strenuè impenderunt, ita ut non obscurè, sed patenter, non incultè, sed eleganter, non frigidè, sed ardenter dicerent: quorum trium, primùm præstat, ut doceatur Auditor, secundum ut delectetur, tertium ut concitetur. Infinitum esset enumerare omnes quicunque è Græcis & Latinis in Ecclesiæ doctrina eloquentes, & in dicendo graues & suaues fuerunt, qui uel hoc ipso præstabant, quod illa optima, quæ excogitabant, optimè aliis poterant tradere, ut nemini causa sit, cur benedicendo nolit in talem excellentium uirorum coronam uenire, cur refugiat inter tot Ecclesiasticæ sapientiæ sidera collocari. Nec uero Apostolos, qui quondam nascenti Ecclesiæ operam suam præstiterunt, infantes fuisse existimare possumus. Quantum fuit temporibus illis efficere, ut homines usitatum idolorum cultum relinquerent? ut à seculi illecebris & uoluptatibus ad Christianæ legis duritiem & paupertatem commigrarent? ut deinceps in fide perstantes nullum supplicii genus recusarent, quin ardentius martyrii coronam appeterent, quàm alii unquam imperia, honores, diuitias, uoluptates concupissent. Non id muta quædam uis efficiebat, sed Apostolorum sonus in omnem terram dimissus, & illæ ignitæ linguæ, quæ Penthecostes die diuinitus delapsæ illorum pectoribus insederant, quo maior etiam uis diuinæ illius eloquentiæ fuit nullo artificio collectæ: hoc enim modo persuaderi poterat uitæ legem ab ipso Deo datam, si nulla humana ope cogeretur probari. Si quæratur unde fides, (de ea loquor fide, non quæ in rebus creditis uersatur, sed qua in Christum credimus, & quam Apostoli circumferebant.) Vnde igitur ea? nempe ex auditu, auditus unde? ex cuiuspiam sermone. Necesse est igitur unum dicere, audire alterum, si sermo suscipi debet, ut ad fidem perueniatur, nemo autem susceperit alterius sermonem, nisi commotus, sed ut commoueatur, quis non uidet maiori quadam opus esse in dicendo ui & grauitate. Non enim simulac dixerit quispiam, Crede in Christum, alius hoc audito statim credet. Quod si obiiciatur illum animorum motum ad fidem proficisci à Deo, non equidem id inficiabor. Solus enim ille donat fidem, sed uix donat absque humanæ linguæ instrumento. Deus igitur in Apostolorum prædicatione animos hominum ad fidem uertebat. Erat genus dicendi illorum, quòd nemo nunc assequitur, aut imitatur, acrè, uehemens, sententiosum, ad pellendos animos aptissimum. Id ex Pauli epistolis cognoscere licet, cuius uerba quoties Hieronymi auribus incidebant, illi Christianorum eloquentissimo fulmina & tonitrua uidebantur. Non erat in eorum literis aut sermonibus nitor, aut cultus ullus, sed cætera non deerant, quod idem perspicitur plerunque in mulieribus, quæ sunt forma bona, sed ornamenta neglexerunt. Eadem est ratio sacrarum scripturarum, quæ quãuis nullo orationis flore sunt ornatæ,

ornatæ, præstant tamen sensuum altitudine: & solæ ueram Dei cognitionem docent, & quia in his utriusque testamenti lex continetur, non uidebantur ornatius scribi debuisse, nec icciro minus sunt legendæ, atque haud scio, an etiam magis, quod horrida & ueluti opaca quædam oratio in illis literis est reuerentior. Demùm latet in sacris literis uis quædam cœlestis, quæ piorum animos mirè afficit. Viuus est enim (ut utar Apostoli uerbis) sermo Dei & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, & pertingens usque ad diuisionem animæ ac spiritus, compagum quoque ac medullarum. Enimuero ubi ostendere uult Deus quædam ui sua diuina peragi, naturalium rerum ordinem peruertit, sicut hic factum est, ut paginis utriusque testamenti inornaris nec satis aptè compositis totus terrarum orbis cederet, uicit incompositis oris sermo eloquentes plurimos & eruditos: nulla dubitatio relinquitur, quin diuina quædam uis id effecerit: nemo potest dicere eloquentiæ quorundam in diuinorum mysteriorum prædicatione habitam fidem, sed Deo, cuius ea est potentia, ut instrumentis ad loquendum ineptis in rem suam aptè uratur. Hoc contigit diuinis literis ut afficiant animos qualicunque structura elatæ.

Si quis idem speret, laturas poma myritas
Speret, & è medio flumine mella petat.

Primis ecclesiæ nascentis temporibus quicunque credentes spiritu sacro perfusi omnium gentium linguis loquebantur. Si quis nunc hanc appetat linguarum peritiam, non consequetur eam ex sola fide, sed necesse habebit petere à libris, à præceptoribus, & multo labore perdiscere. Fiebant tum etiam miracula plurima, quia ita res poscebat, quæ nunc raro & uix cernuntur. Non opus est quicquid extraordinaria Dei geritur potestate, id trahere in exemplum. Fundamenta fidei noluit Deus rem esse humanæ eloquentiæ, sed diuina sola uirtute stare. Vbi ea iacta fuere, si quid amplius est super ædificandum uel ad utilitatem, uel ad decus, ad humanas artes confugiendum est, nec ad omnia miracula expetenda. Itaque qui post Apostolos ecclesiarum regimini præpositi fuere, conati sunt compositè & illuminatè dicere. Clemens Petri discipulus & eiusdem in Episcopatu successor, non tamen stylum Petri sequitur in scribendo, sed de omnibus commodè & dilucidè disserit. Idem facit Ignatius, qui eisdem floruit temporibus, Polycarpus quoque, & Hierotheus. Quadratum Apostolorum discipulum Atheniensium Pontificem testatur Hieronymus Hadriano Cæsari Eleusinæ sacra inuisenti librum pro religione nostra compositum porrexisse, & tantæ admirationi fuisse, ut gladium iam aduersus Christianos commotum excellens illius sedarit ingenium. Licet eodem modo de pluribus aliis dicere, sed de his posterius etiam aliquid dicetur. Hieronymus uerò, quum adhuc eloquentiæ operam daret, & Ciceronis Platonisque libris alliceretur, non negligebat ille quidem sacras literas, sed non adibat uel cunctantius adibat, quum eas horrido uestitu septas uideret. Hinc accusari sibi uisus est in somnio à Deo, quod Ciceronianus esset non Christianus. Huc tendebat accusatio, quod Ciceronis literas adamaret, Christianorum paruifaceret. Ergo tum Dei imperio flagris cæsus, & post illam correptionem ait idem se tanto po-

 stea

ftea ftudio diuina, quanto antea mortalia legiffe, ut accufatione illa non ram à ueteribus ftudus deductus, quàm ad noua cognofcenda uideatur impulfus. Nam & fi iftis ingenuis artibus opera omnino tribuenda fit, uidendum eft tamen quatenus tribuatur, ne morum cura relinquatur, ne humana ftudia diuinis præferantur: hæc enim decet præcedere, illa fubfequi. Mulra in facris literis diuino afflatu funt pronunciata, ad quæ ptogreffa humana ratio uenfiima effe comprobauit. Sed propriis fuffulta uiribus nunquam ad illa, nifi tali aditu patefacto, penetrare potuiffet: Itaque maximis in tebus Philofophi iacuerunt, aduerfus quos ita noftri pugnauerunt, ut eos in nulla arte deceret effe rudes, quod fi Chriftiano uiro doctrinarum habenda eft ratio, non uideo cur benedicendi ars quædam inter has locum tenere non debeat: nihil enim intereft fcire optima & cogitare, fi ea nequeas graui, dilucida, copiofa, diftributaque oratione in hominum autes infundere,& eorum pectora commouete. Fateor à quibufdam eloquentiam magnificentius defpectam, quàm à cæteris tetentam, ne quis me illam à Monacho flagitare putet, qui filentium pto uirtute debet: hic de Chrifto cœleftique regno mentis tantum cogitatione inquirit. Ab eo polita & ratione quadam informata eloquutio poftularur, qui ea, quæ de diuinis mortales literis cognouimus, fcire expetit, atque ea tractare ac explicare contendit. Hæc enim diuina, quo diuiniora uiderentur, uerborum lumine incendi, atque illuftrari deceret: nec deberent hi, qui fibi literati uidentur, fequi id, quod eft maximè illiterarum .i. incompofitè, ruditer, confusè, ma la denique ratione confcriptum. Nam fi materiam rerum infpicimus, quo altior eft & fublimior, illuftrius explicari debet & fpatiofius. Si utilitatem legentium confidetamus, tangunt animum uehementius, quæ commodè diferteque fcribuntur. Illa autem informia fcripta languentis funt ftomachi, non commouent, & nemo fibi ea expetit præter paucos, qui eodem modo dicere & fcribere concupifcunt. Ego fic intelligo, quod etiam traditum eft, non alio fpectare dicentem, quàm ut de eius oratione fuadeatur auditor. Vtrum igitur melius fuadebit, is ne qui grauem & arduam tractans materiam, uel quodlibet aliud durum & odiofum, quod fit tamen utile, ftatim itruit? an qui fermonis exordio placidè progrediens erigit atque allicit fenfim auditorem, quo fe fe facile & libenter doceri patiatur? fi narrandum eft aliquid, quis nolit narrationem breuem effe, fimplicem, uerifimilem, apertam? Si difputandum eft, quis argumentorum copiam idoneis locis collocandam non putauerit? quis noftra prudenter confirmari, aduerfariorum acutè refelli neget oportere? Quis in contextu orationis non probet facilitatem & puritatem fermonis? Quis confequentiam rerum non amet, & nolit eloquutionis membra fibi inuicem cohærere, & aliud ex alio pendere. Quis fletum, iram, dolorem, miferationem, inuidiam, & alium quencunque animorum motum, quem caufa fufcepta poftulat, tenuat, fi poffit, dicendo excitare? An quicquam ram firmum effe poteft, quàm graues, crebræ, acutæque fententiæ? aut quid magis penetrabile, quàm uerborum nexus optimorum, aptè & loco cadentium? Hæc funt membra: hæ utes: hæc tela, quibus incalefcit & audet oratio, & hoftem cominus non exti-

extimescit. Volumus ueritatem obtusè, deformiter, frigidè ambulare. Eam ne igitur his præsidiis nudabimus, quibus mendacium sæpe iuuatur? An ecclesia Dei quicquam instructius esse debet & ornatius? quid illi utilius, quàm eloquentiæ studia tenere, quibus armata & se ipsam tegere & hostem propulsare possit? Augustinus in libris, quos de doctrina Christiana composuit, Apostolum Paulum in epistolis dicit eloquentiæ præcepta non sequutum, sed quod eius sapientiam eloquentia sequuta est, tam & si Paulus ipse imperitum se sermone profiteatur, non scientia. Hieronymus uerò aliud de Paulo sentit: nam & si altitudinem sensuum omnibus locis admiretur, non tamen eloquutionem commendat. Nam in explanatione decimæ quæstionis ad Algasiam ait quod Paulus profiteatur se imperitum sermone & non scientia, id eum non de humilitate, sed de conscientiæ ueritate dixisse, quia non poterat sensus suos profundos & reconditos explicare, & puro transferre sermone. Se ipsum (inquit) cupiens interpretari inuoluitur. Eodem loco testatur pariter Apostolum imperitum artis grammaticæ fuisse, ideo plerisque locis aliquid deesse in uerborum contextu, uel superesse, Græcè autem scripsisse eum autumat, quia in Tarso Ciciliæ à prima ætate eã linguam imbiberat, ex quo factum, ut nonnulla è Cilicum consuetudine fuerit eloquutus, quæ commemorat. Addit eundem in uernacula lingua idest hebraica fuisse disertissimum, ut potè hebræum ex hebræis, & eruditum ad pedes Gamalielis uiri in lege doctissimi. Hæc de Paulo Hieronymi sententia. Ego autem arbitror eum illo loco confessum se sermone imperitum quod Pseudoapostoli illi obiectabãt, quia existimabat sermonis imperitiam non modo nihil obesse prædicationi crucis, uerum etiam prodesse. Nam de hoc certat in priore ad eosdem Corinthios epistola, ostendens Deum elegisse mundi stulta, ut confundat sapientia: & infirma, ut confundat fortia, & ait se missum non in uerbi sapientia, ne Christi crux euacuetur. Demùm imperitiam sermonis sui subleuat ibidem, dum sibi ascribit scientiam. Ipsum tamen multum ualuisse dicendo illud indicat, quod quum Lystram uenisset Lycaoniæ ciuitatem una cum Barnaba, multaq; dixisset & fecisset ad Euangelium pertinentia, tandem Lycaones dixerunt Deos in hominum figura ad se descendisse, & Paulum Mercurii, Barnabam Iouis nomine uocabant, hoc quod Deos illi crederent esse Barnabam & Paulum, miraculis & prodigiis ascribi potest, quæ per ambos fiebant: quod uerò Paulum Mercurii nomine appellabant, uel Mercurium esse potius suspicati sunt, id iam non à prodigiis, sed ab eloquentia nascebatur. Sed Paulum & alios Apostolatus collegas omittamus, de quorum dicendi genere iam expressimus. Quid de eis dicemus, qui posterius sequuti sunt? an non omnibus eloquentiæ uiribus subnixi fuere? Dionysius Areopagita, qui Pauli discipulus fuisse perhibetur, quanta perspicuitate, quantaue elegantia diuina cœlestiaque cuncta descripsit? Dicas cœlum intrasse, & splendoris parentem Deum uidisse Angelicis circunfusum choris, ritusque omnes illos & instituta cognouisse, quod ex eo ostenditur, quia efficit ui orationis & ueluti magico cantu, ut quicunque legerit, existimet se terris desertis cœlum ipsum ingredi, & tantis assistere spectaculis, & illic potius esse, quàm ubi uerè moratur.

Tertulianus, qui iisdem floruit temporibus, quàm peritè, quàm splendidè, quàm copiosè multa docuit? quanto idem uerborum ardore, quam denso sententiarum agmine aduersus gentes pro Christiana religione pugnauit? quod argumentum & plures alii eadem ætate, & postremo Lactantius Constantii Cæsaris præceptor luculentissimè tractauit. Quid Dialectica hic profuisset argutatio? uel quid modicum et tenuè orationis filum? Imò ne mediocri quidem opus fuit eloquentia, ut suaderetur non esse passim trucidandos Christianos, qui religionem nouam inducerent, et Deos gentium patrios ueluti falsos abolerent. Infinitus esset labor persequi singulos, qui in Christi ecclesia dicendo ualuerunt. Nonne omnibus politissimis artibus instructus Augustinus? aut quomodo sine illis hærencorum malleus, dictus et habitus fuisset? Quos ille neruos in disputando, quos lacertos induit? Vt nunquam cessat? nunquam iacet? Vt ubique properans auditorem ad se assiduè rapit? Si magnum est simplicia eruditè, inculta ornatè, abdita apertè, obscura dilucidè pronuntiare; hæc illa præstitit omnia, utrisque satisfaciens, et his, qui diuinarum tantum rerum scientia ducuntur, et alteris) qui ingenii duntaxat robur mirantur. Nescias utrum hominis linguam an pectus magis probes. Quid aliud tantopere probatur in Ioanne, nisi dicendi copia & grauitas? qui ueluti ex aureo ore flumen eloquentiæ effundat, Chrysostomi cognomentum recepit. Hic (ut cum Horatio dicam)

Vehemens, & liquidus, puroque simillimus amni Fundit opes.

Christique locupletat ecclesiam diuite lingua. Ipso uero Hieronymo, quem superius percussum ostendimus, neminem ne inter gentes quidem statuo usum fuisse grandioribus uerbis, sublimioribus sententiis, ut Tragicum quiddam reboare uideatur. Quis ad uirtutem cohortatur ardentius? Quis malos pulsat asperius? Quis aduersus ecclesiæ hostes fulmina iaculatur crebriora? Quis illos de omni statu uehementius deturbauit? At hæc orationis uiribus & lacertis gesta uidemus. Et quid aliud fuit, in quo Iulianus Apostata Christianos læderet, nisi quod his ingenuarum artium studia interdixit, sperans tam leni ueneno posse Christi religionem perdere, quàm gladius non euertisset, quod sanè ostendit Ecclesiæ non parum id conducere, quod hostes auferre, nostri contra summa ope retinere studuerint. Extant epistolæ Basilii ad Libanium Sophistam, & uicissim Libanii ad Basilium patrio idest Græco sermone conscriptæ. Nec mihi in his uidetur Basilius eloquentia Libanio inferior, quamuis hic Rhetoricæ exercitationis esset præceptor, & in una arte dicendi omnem ætatem contereret. Vterque tamen in his epistolis eloquentiam sibi detrahit, & alteri ascribit. Et Basilius quidem ludens aduersus Sophistam negat se iam posse disertè scribere, propterea quòd assiduus sit in Mosis & Heliæ scriptis, quæ sententiis essent optima, uerbis tamen deteriora: quandoque dicit non esse expectandam eloquentiam ab eo, qui se piscatorum discipulum esse fateatur. Ipse autem Libanius admiratur fœlicitatem ingenii Basiliani, si nullis irrigatum fontibus tam liquidè fluat, & de eo scatere ualeat tanta uerborum uis & copia: Sed hæc, quæ epistolis illis continentur leuiora sunt. Si quis autem diligenter inspexerit, quos Basilius in opus sex dierum, & in alios diuinos libros edidit commentarios,

mentarios, & quæ contra ebrietatem & in laudem solitudinis scripsit, facilè intelliget ab illis scriptis nullam sermonis elegantiam, nullum dicendi lumen abesse, multa de Philosophorum, Rhetorum, Poetarum libris sumpsisse, unde nostra defenderet dogmata & illorum improbaret. Hic prætereire nequeo maiorum nostrorum industriam & diligentiam, qui de artibus, quas in Rhetorum & Dialecticorum scholis apud gentes imbiberant, illorũ fidem & religionem impugnabant, existimantes se tunc pulcherrimum Dauidis factum imitari, qui caput Goliæ illiusmet gladio abscidit. Hoc est quod Iulianus Cæsar minimè ferre poterat, quod Christiani utentes disciplinis gentium, his ipsis religionem earum & ueterum Deorum cultũ euerterent. Christi autem propagarent, ideò edictis minacibus Christianos instrui & erudiri uetabat: Creditus Libanii illius Sophistæ impulsu à Christi fide desciuisse, & intermissum multis iam locis idolorum cultum renouasse. Hoc etiam ostenditur ex epistola Dionysii Areopagitæ ad Polycarpum Smirneorum Episcopum, in qua scriptum est his uerbis. Asseueras mihi Sophistam Apollophanem in me intorquere maledicta, & parricidam appellare, ut qui Græcorum dictis atque sententiis in eos ipsos parum iustè utar. Ecce quomodo sapientes illorum temporum, quos Sophistas nuncupabant, iniquo ferebant animo, nostros oppugnare iisdem disciplinis eos ipsos, à quibus didicerant, idq; rectè fiebat, quoniam disciplinæ inuentæ, ut homines uera astruant, non ut falsa defendant. Verùm autem illud erat eorum religionem non fuisse religionem, sed impiam superstitionem, idque à nostris uariè, ornatè, argutè ostendebatur. At non solùm maiores nostri de ueterum Sapientum dictis in gentium religionem insurgebant, sed si qua iidem recta & uera protulerant, hæc ueluti ab illis mutuo sumebant, & in suos usus transferebant, proq; suis utebantur: & dum hoc peragerent, interpretabantur sese uetus illud Hebræorum factum renouare, quo Aegyptum deserentes Aegyptios uasis aureis & argenteis, quæ ab illis fuerant mutuati, spoliauerunt. Fuit olim Ietro quidam sacerdos Madianitarum, quæ gens tunc idola colebat. Is quum socer Mosis esset, uenit ad eum in solitudinem adducta secum filia & liberis: quumq; postridie uideret Mosem mane usque ad uesperam sedentem, ut controuersias populi dirimeret, improbauit factum, quòd solus susciperet laborem, cui par esse non posset, cum magno etiam incommodo, non tantum suo, uerùm etiam litigatorum, hortatusq; est, ut desisteret: Consuluit autem, ut deligeret tribunos, centuriones, quinquagenanos, decanos, eosq; præficeret iudiciis. Ipse erudiret populum in his, quæ ad cæremonias & ritum colendi pertinerent, & quæcunque eius postulata ad Deum, & à Deo ad ipsum referret. Hoc consilium auidè arripuit Moses & sequutus est. Hunc locum tractans Origenes, quas uoces fundit, quas sententias contorquet in eos, qui nulla sibi de gentium sermonibus sumenda arbitrantur, una nixi fiducia diuinarum literarum? Sed melius fuerit uerba ipsa referre, ne finxisse id uidear: sic enim de Græco in Latinum uertit eloquium, qui elegantissimè id facere potuit, Hieronymus. Quum perspicio (inquit) quod Moses propheta Deo plenus: cui Deus de facie ad faciem loquebatur, consilium accepit à Ietro sacerdote Madian, admiratio-

ne

ne nimia ſtuporem mentis incurro: Dicit enim ſcriptura. Et audiuit Moſes uocem ſoceri ſui, & fecit quæcunque dixit ei. Non dixit, quia mihi Deus loquitur, & quid agere debeam, cœleſti ad me oraculo defertur, quomodo conſilium ab homine accipiam, & ab homine ethnico alieno a populo Dei? ſed audit uocem eius, & facit omnia, quæ dicit, & non quis dicat, ſed quid dicat auſcultat. Vnde & nos, ſi fortè aliquando inuenimus aliqud ſapienter à Gentilibus dictum, non continuo cum auctoris nomine ſpernere debemus & dicta, nec pro eo, quod legem à Deo datam tenemus, conuenit nos intumeſcere, & ſpernere uerba ptudentium, ſed ſicut Apoſtolus dicit. Omnia probantes, quod bonum eſt tenentes. Satis ne apertè Origenes inſectatur iſtos, qui gentium literas & ſermones illorumque uirorum utiliſſimas delectiſſimasque ſententias aſpernantur, tumentes ſcientia diuinæ legis? quaſi ueteres à religione noſtra alieni nihil ueri & ſolidi tenuerint, & ingenuas diſciplinas non ad ſummum uſque perduxerint, quibus humana uita partim eget, partim ornatur. Duæ ſunt artes diſſerendi: una, qua reſtrictè, altera qua fusè diſputatur. Illam ſuperiorem Dialecticam, alteram Rhetoricam nuncupamus. Si dialecticam recipimus tanquam ueri falſique iudicem, cur non Rhetoricam quoque amplectimur docendorum & concitandorum animorum magiſtram? Non enim ualdè refert inueniſſe ueta multa, niſi is, qui inuenerit. Oratorio queat illa more pronunciare, præſertim quum multa occurrant ſæpius in dicendo, quæ grauem & uariam tractationem requirant, & ea infigere audientium animis oporteat. Sed res facilius dignoſci poterit, ſi quid uttinque agatur, breuiter demonſtretur. Hæc quidem ſententia à me nunc defenſa Chriſtianos uocans ad eloquentiam, induſtriam excitat, bonas artes ſuſtentat: maiores, qui idem in ſcribendo tenuerunt, ornat, poſteros ad æmulationem prouocat, uetuſtum morem conſeruat, eccleſiam Chriſti facit ab amicis magis ſuſpici, ab inimicis minus deſpici. Manifeſtum eſt autem, quod contrariam ſententiam contraria horum ſequuntur. Sed & illud conſiderandum, quid diſſidentibus inter ſe his duabus ſententiis utraque ex parte ueniat in certamen: pugnat enim ſermonis grauitas cum ſeuitate, ubertas cum inopia, munditia cum ſordibus, lumen cum tenebris, lepos cum ineptiis, quod ſi meliora ſunt illa, quæ dubitatio utris horum uictoriam quiſpiam ſuffragio ſuo debeat concedere? Videmus templa & aras religionis noſtræ floribus, ebore, gemmis, picturis, multoque auro & argento ornari: & in ſermonibus non quæremus magis cultum aliquem & nitorem? quum pretioſior eſſe debeat ſermo, qui de Chriſtiano manat pectore, omnibus aris atque delubris. Hæc, quæ de Chriſtianorum dixi eloquentia, uideo neminem inficiari poſſe. Perſpicuum eſt nanque in Chriſti eccleſia ſtudia eloquentiæ continuo fluxiſſe. Eſt etiam aliud eloquutionis genus, quo plerique recentiores in ſacris & philoſophicis literis utuntur. Dicam autem, poſtquam huc ingreſſus ſum ſine ulla cunctatione, quid mihi de his uideatur, rem acutè uident, diſputant argutè, probant acriter, diſtinguunt ſubtiliter, aduerſariorum partes callidè euertunt. Sed nullus apud illos uerborum cultus, nullus orationis nitor, tenent quaſdam argumentorum formulas, quibus unumquodque reiicitur,

tur, uel probatur: eruditis uiris satisfacere queunt, sed in uulgus sermo eorum exire non potest, tum quia scaber, tum quia affectus animi nudis istis syllogismis non commouet. Hoc autem accidit, quia quum Barbarorum arma inuasissent Italiam, & eam deuictis Romanis Imperatoribus occupassent, magna fuit superioribus seculis inopia latinæ linguæ. Mox quum paulo supra hanc ætatem apparuisset Aristoteles, qui diu fuerat incognitus, isque uersaretur inter manus assiduè, sequuti sunt nostri homines in dicendo Aristotelem, qui obscurus sermone & per quasdam ueluti lineas incedens, rem pressius attingere uidetur, omni prorsus grauitate & dignitate sermonis neglecta: Alii hos Theologos, Scholasticos, alii Parisienses uocant, propterea quòd hoc docendi genus in Parisiorum urbe, uel institutũ fuerit, uel magis frequentatum. Istis & si multa uenetario & reuerentia debeatur ob insignem eruditionem & uitæ sanctitatem, quæ in plerisque floruit, tamen ueteres Ecclesiæ Doctores antepono, non secus ac si auream sta tuam argenteæ præferrem. Habet utrosque Ecclesia, alios, qui fusè & grauiter, alios, qui compressè & neruosè doceant. Vt autem intelligatur aptius, quantum inter utrosque intersit, utar exemplo. Quærunt isti recentiores (utar enim eorum uerbis, quamuis rudibus & impolitis) utrum mulieres fucantes se seu colorantes, aut alia figmenta adhibentes, puta adulterinos crines & huiusmodi, faciant contra honestatem, ita, quod peccent mortaliter, Diuus Thomas uir diuino ac cœlesti ingenio, qui optima assiduè meditatur, & ea dilucidius cæteris profert. Is ergo in sua summa Theologica dicit, quod huiusmodi fictiones non possunt esse sine peccato, sed non semper mortali, sed tum demùm quando fit per lasciuiam uel in Dei contemptum. Aliud tamen est (inquit) fingere pulchritudinem, quam non habeas, aliud occultare turpitudinem, quam ex morbo uel qualibet alia ratione contraxeris: hoc enim licet: nam ut ait Apostolus. Quæ putamus ignobiliora membra corporis esse, his honorem abundantiorem circundamus. Hæc à diuo Thoma habemus: Alexander Hales in quarta parte summæ, his refragatur: nam relatis opinionibus inclinat in eam ipse sententiam, ut non modo si figmentum adhibeatur ad augendum pulchritudinem id sit capitale mulieribus. Verùm etiam si ad occultandum id fiat defectum, ueluti ad celandum maculam in facie uel ad tegendum capitis nuditatem, hanc sententiam dicit tutiorem, licet contrariam fateatur humaniorem. Retuli Alexandri sententiam. Alius huius seculi Theologus, & ipse in sua summa. Non uult in occultantibus defectum esse mortale. In aliis uerò utentibus fuco, quo auctior habeatur pulchritudo, fluctuat. Demùm concludit, quod mulieribus peccata sua sibi confitentibus sententias inter se dissentientium Theologorum aperiret, & induceret quantum posset, ut abstinerent, ostendens quàm id fieri periculosum esset, quod si reluctarentur illæ quasi id sibi liceret, me ipsum (inquir) exonerans, id earum conscientiæ relinquerem non denegata prorsus absolutione. Hæc iste ita disserit. Si nihil quæritur aliud, nisi ut res doceatur, satis ab istis Theologis dictum puto, nec offendor ruditate sermonis: postquam ita loquuntur, ut intelligantur: neque unquam dicendi elegantiam requirerem ab iis, qui ex professo illam non sectatur.

tur. Veruntamen si quispiam melioribus ea uerbis & sententiis efferret, nõne maiori commendatione esset dignus? Ergo audiamus magis Augustinũ, qui quàm grauiter & quàm splendidè hoc idem tractet argumentum, colligi potest ex his, quæ in epistola ad Possidium scripsit: Verba eius subieci: Fucari pigmentis, quo uel candidior, uel rubicundior appareat, adulterina fallacia est, qua non dubito ipsos etiam maritos decipi nolle, quibus solis permittendæ sunt fœminæ ornari secundum ueniam non secundum imperium, nam uerus ornatus maximè Christianorum non solùm nullus fucus mendax: uerum ne auri quidem uestisque pompa, sed boni mores sunt. His uerbis Augustinus improbat mulieres fuco se colorantes, cum quadam tamen uenia, & ut in epistola, agens leniter: At uehemens in has Martyr Cipriānus ac penè durus in libello de Virginum habitu: quæ illic uerba? imò quæ torquet fulmina? quantum iræ affert? quantum terroris incutit? Sed commodius facturus mihi uideor, si orationem eius subscripsero. Si quis pingendi artifex uultum alicuius & speciem & corporis qualitatem æmulo colore signasset, & signato iam consumatoque simulacro, manus alius inferret, ut iam formata, iam picta, quasi peritior reformaret, grauis prioris artificis iniuria & iusta indignatio uideretur. Tu te existimas impunè laturam tam improbæ temeritatis audaciam, Dei artificis offensam? Vt enim impudica circa homines & incesta fucis lenocinantibus non sis, corruptis uiolatisque quæ Dei sunt, peior adultera detineris. Monentis Apostoli uox est, ut festa celebremus, non in fermento ueteri, neque in fermento malitiæ & nequitiæ, sed in azimis synceritatis & ueritatis. Num synceritas perseuerat & ueritas, quando quæ syncera sunt polluntur, & colorum adulterinis fucis in mendacium uera mutantur? Dominus tuus dicit. Non potes facere capillum unum album aut nigrum: & tu ad uincendam Domini tui uocem uis te esse potiorem: audaci conatu & sacrilego contemptu crines tuos inficis; malo præsagio futurorum capillos iam tibi flammeos auspicaris. Hæc Cyprianus. Audiamus nunc quid dicat Ambrosius in libro primo de Virginibus, dum in Virginum commendationem nuptarum mores proponit eosq; exagitat. Hinc illa (inquit) nascuntur incentiua uitiorum, ut quæsitis coloribus ora depingant, dum uiris displicere formidant, & de adulterio uultus meditantur adulterium castitatis. Quanta hæc amentia effigiem mutare naturæ? picturam quærere, & dum uerentur maritale iudicium, prodere suũ? Prior enim de se pronuntiat quæ cupit mutare, quod nata est. Ita dum alii studet placere, prius sibi ipsa displicet. Quem iudicem mulier ueriorem requirimus deformitatis tuæ, quam te ipsam, quæ uideri qualis es times? Si pulchra es, quid tuam alienis faciem cælas coloribus? Si deformis, cur te formosam esse mentitis, nec tuæ conscientiæ, nec alieni gratiam erroris habitura? Tolerabiliora propemodum in adulterio crimina sunt. Ibi enim pudicitia, hic natura adulteratur. Hieronymus pariter in libro contra Heluidium in comparatione quoque agens Virginis & nuptæ eadem sentit, paucioribus tamen uerbis. Sic enim loquitur. Tu putas idem esse diebus & noctibus uacare orationi, uacare ieiunus, & ad aduentum mariti expolire faciem, gressum frangere, simulare blanditias? illa hoc agit, ut turpior appa-

reat,

reat, & naturæ bonum infuscet iniuria. Hæc ad speculum pingitur, & in contumeliam artificis conatur pulchrior esse, quàm nata est. Hæc Hieronymi, Ambrosii, Cypriani uerba si quis consideret, iudicabit profectò longè ipsos dixisse accommodatius & potentius, quàm nostrates Theologos, qui paucis tantum iisque inconditis sermonibus de mortali & non mortali sententiam suam ostendunt. Peccare mulieris in pingendis uultibus non ambigitur, sed quantum peccent dubitatur. Si quid sentiam ipse, requiratur, ego à Thomæ sententia non discederem. Veruntamen ueteres ecclesiæ Doctores, quos modo nominaui, ita loquuntur, ut uideantur mulieres reas capitis facere: Adhibent autem dicendi uim, quam de Rhetorum scholis percipere potuerunt. Si nuda ueritas quæritur, possunt recentes Theologi satisfacere. Sin armis suis instructa, aliud eloquutionis genus quærendum, quod ad popularem intelligentiam sit aptius, & ad animorum tractationem efficacius. Quid enim si laudandum sit aliquid & iustis prædicandum præconiis? (Nam in sanctorum natali solemus eos prædicare, tum ut diuina largitas, quæ sydera illa tam fulgentia his tenebrosis locis accendit, commendetur, tum ut optimus quisque ad similia gerenda æmulationis studio acuatur) Num adeundus tunc erit Dialecticus? ut hoc fungatur munere, quid hoc ad illum? qui in argumentationibus totus & probationibus uersatur, & intra hæc regnum suum exercet. An non cauendum tunc erit, ne iuxta ueterem fabulam petenti sibi naufragium pingi, cupressus pingatur? Laudauit Hieronymus Paulam, Agnetem Ambrosius, Petrum & Paulum Apostolorum Principes Leo Pontifex Maximus, sanctissimam Dei genitricem Bernardus, Martinum Sulpicius. Num tenui utuntur sermone, ac non tanto, quantum personarum, quæ tunc tractabantur, dignitas exposcebant? Quid de uirtutibus dicam? quis è ueteribus non laudauit uirginitatem, ieiunia, obedientiam, humilitatem, solitariam uitam, & si qua alia sunt huiusmodi? at quanta uerborum pompa? quanto ueterum exemplorum comitatu? quàm iustis ueris grauibusq; sententiis? dicas eos, dum loquuntur quoque & cæteros erudiunt, harum uirtutum sensisse dulcedinem. Nihil tale à plerisque hodie fit: Non enim eos idem fecisse dicendum, quod faciunt diuersa ratione, uel non faciunt pars eloquutionis grauitate. Sed omittamus hos, qui ruditatem linguæ, diuinis alii pectoris bonis compensant. Istos uerò quis ferat, qui nec sensibus nec uerbis ualent: & eloquentiam ueluti garrulitatem quandam contemnunt, rectè illi quidem garrulitatem contemnunt, sed eam ab eloquentia distinguere debuerunt. Nemo enim ulla de re eloquenter dicere potest, qui eam non exactè norit: est enim eloquentis scienter dicere: & eo eloquentior, quo scientius id facit: Itaque fieri non potest, ut eloquentiæ quis det operam, quin eodem tempore det prudentiæ.

Sunt res ipsæ subiectæ Oratori ad dicendum, omnisq; oratio ex rebus & uerbis constat. Is porrò eloquens habendus est, qui utroque ualeat, id est qui & uerbis adiiciat robur sententiarum dignitate, & sententias uerborum lumine illustret. Si qui autem sunt, qui ferantur in dicendo cursu ornatissimorum uerborum, nulla subiecta rerum scientia, nullis grauibus delectisque sententiis interpositis, ii meritò irridentur, & ab omnibus contemnuntur,

hos ego non argenteos iam, sed ferreos, aut plumbeos loquutores esse puto. Non dissimulandum est, (quando admonuerunt carmina nonnulla superius prolata) fuisse etiam in Ecclesia Christi illustres Poetas omnium iudicio probatos, quod quicunque perspexerit, iam intelliget maiores nostros à nullo eleganti dicendi genere abhorruisse, ut qui etiam uenustatem carminis & grauitatem uoluerint ad Christiana dogmata transferre. Iuuenci cuiusdam præsbyteri Hispani meminit Hieronymus, quem ait historiam Christi Saluatoris uersibus explicuisse, nec dubitasse, Euangelii maiestatem sub metri leges ponere: huius nunc etiam extant libri & leguntur: Ipse olim à puero legi Paschale opus Sedulii ueteris Poetæ, in quo omnia ferè ueteris & nouæ legis miracula expressit, tam acutè, ut nihil fieri possit acutius, tanta heroici carminis grauitate, ut proximus in eo scribendi genere præstantissimis Poetis esse uideatur. Hos imitatus Atator omnes Apostolicos actus, quos Lucas scripsit, uersibus exarauit, laboresq; illos suos Poeticos Virgilio Romano Pontifici dicauit. Scimus idem fecisse Prudentium, sed & Prosperum quoque & Nanziezenum, & Lactantium. Sed quid iuuat ueterare petere & ire per singulos? quum tempestate nostra unus Baptista Carmelita Mantuanus cum summa sui & totius ordinis commendatione tot effuderit uersus in re Christiana, quot nequeant plures breui tempore percurrere. Hic mihi dicat aduersatiorum aliquis, quomodo splendida & exculta dicenris respui possit oratio in rebus sacris atque diuinis, si eodem carmen recipitur? Nam in carmine grandiloquentia maior, altior sonus: illic magis lasciuit ornatus. Liberior faciendorum iungendorumq; uerborum potestas, translationes audaciores. Immodica denique uoluptas ob choream quodammodo uersuum ad numerum se commouentium. Hæc placuerunt nostris, & cur non placerent? quum uiderent Apostolum Paulum uersiculos Poetarum Græcorum scriptis suis intexuisse, scirent psalmorum opus, librum Iob, luctumq; Hieremiæ Prophetæ metro penes Hebræos constare. Illud forsitan dicetur à nonnullis, quibus nulla unquam cura fuit eloquentiæ, & eam in cæteris oderunt, eloquentiam non esse magnifaciendam, propterea quòd sæpius non commoueat auditorem, nec semper expugnet id quod petit. De hoc paulo aliquid pressius dicendum puto. Venit enim in quæstionem, quis sit eloquentiæ finis, & num is in potestate sit eloquentis. Ita autem dicam, ut intelligi possit non me plus eloquentiæ tribuere, quàm ratio præscribat, id tamen quod tribui ei ratione potest, magnum esse atque præclarum. Existimarunt plerique benedicere eloquentiæ esse finem, quæ sententia si uerītate niteretur, esset finis ipsius eloquentiæ in potestate eloquentis: nam aut ei bene omnino dicendum, aut eloquentis nomen amittendum. Sed mihi finis eloquentiæ uidetur suadere, non benedicere: huc enim spectat Orator, hoc unum illi propositum, ut suadeat dicendi scilicet uiribus & neruis, ne obiiciatur, & pecuniam, & amicitiam, & gratiam, & hominis auctoritatem, & pulchritudinem, & gestus quosdam corporis pariter suadere: hæc enim suasio rebus fit, non oratoris uerbis: suadent, & meretrices, & adulatores, & corruptores, & imperii quoque multi loquendo, sed quod suadeant non uerba in causa, quibus non rectè utuntur, sed

affectus

affectus audientis ad ea, quæ dicuntur ſpontè ſua propenſus. Solus Orator hanc fert parmam, ut uerborum ſuorum inſtrumento flectere animos ac regere, & quo uelit impellere, & unde uelit deducere dicatur: huius ſolius uerborum grauitati, copiæ, ſuauitati aſcribitur magna illa mentium uoluntatumque conuerſio: laudoq; ſummè hac in re Iſocratem, qui Rhetoricen ſuadelæ dixit opificem. Non eſſe autem eloquentiæ finem benedicere, ſed ſuadere (ut dictum eſt) ex eo oſtenditur: nam ſi finis eſt id propter quod reliqua fiunt, benedicere conatur Orator, ut ſuadeat, non autem ſuadere conatur, ut benedicat; quum igitur eloquutio fiat gratia ſuaſionis, conſtat finem huic non illi aſcribendum: Simili in errore uerſantur iſti, qui ponunt finem eloquentiæ benedicere, ac ſi ponerent nauticæ ſcientiæ finem bene nauigare, quum bona nauigatio non ſit finis artis, ſed opus ipſum, quod ars efficit, propter quod peruenitur ad finem, ideſt ad deſtinatum litus. Quemadmodum autem non eſt in poteſtate eius, qui nauem moderatur, ſuus finis, quoniam fieri poteſt, ut quum omnia ex arte præſtiterit, portus tamen ſibi non contingat aduerſis iactato tempeſtatibus. Similiter accidit ſæpius, ut orator non ſuadeat, quamuis quantum in eo ſit, ſuſceptæ cauſæ non defuerit, ſed articulos eius omnes commodè & diſertè tractarit. Quid igitur in utroque extimatur, & carpenditur? Spes probabilis perueniendi his ducibus ad finem: Sic enim aduocatur Gubernator ut nauigio deducat, quo proficiſci intendimus, & Orator, ut aliquid ſuaſibile impetret. Sed ut de Gubernatore omittam dicere, & de Oratore agam, huic rurſus quæro. Vter melior Orator ideſt utrum facilius ſuadebit, is ne qui confusè, ſordidè, obſcurè loquitur, pungens acuminibus quibuſdam ex intima penitus (ut ille putat) Dialectica petitis? An alius, cuius in uerbis inſit nitor & in ſententiis pondus, & utraque ordine diſpenſat? Cur autem contemnitur ars dicendi? Non enim contempnibile eſt, ea inſtructum facultate ambulare, qua facilius honeſtum aliquid hominibus ſuaderi poſſit. Quod ſi non omnia obtinet eloquentia, non ideo tamen fit, quin in multis magniſque cauſis uim eius oſtendat. Gubernatoria ars, de qua ante dixi, non ſemper nauigantes deducit in portum, quin ipſe quoque ſæpius perit ex naufragio Gubernator, num ideo gubernandi nauem ars nulla eſt, uel ab aliis contemnitur? num comtemnetur pariter medicina, quia non omnes profligat morbos? ac non beneficii ſummi loco habetur, quod plures profligare poſſit? diſtinguendæ nanque ſunt artes, & uidendum quod quædam ſunt, quæ nunquam cadunt à fine ſuo, quales ſunt mathematicæ & fabriles, quæ numerum, pondus, menſuram ſequuntur, nonnullæque aliæ, quæ ab agendo remotæ in ingenio tantum & cogitatione uerſantur artificis. Reliquæ carent neceſſitate finis, ſed pro neceſſario fine id ſequuntur, quod frequentius contingit. Vtiles autem & fructuoſæ exiſtimantur, quod rarò fruſtrantur artificem, & ſi non in omnibus, at ferè in omnibus uoti compotem reddunt. Inter has ego artes eloquentiam repono, cuius uis apud Regum & populorum aures uiſa fuit admirabilis, & gratiſſimos retulit dicentibus euentus. Cur hæc ſcribis inquiet aliquis? Imo cur non ſcribam? multi enim multos ab eloquentiæ ſtudiis deterrent, cuius rei

hæc tempora non indigent, sed hortationis potius & concitationis, quas partes, si suscipere in ipse, uidebar ab honesto proposito non aberrare, quin pro me hæc quoque dicenda fuerunt. Ego enim eloquentiæ studia uehementer amplector, quoniam in omni eloquutione uerborum sententiarum que delectum adhibendum puto. Itaque multis curis molestiisque interpellantibus, non quantum libet, sed quantum licet, uersor in his literis, quibus posse arbitror eam mihi facultatem parare, quod si Orationes, si Dialogos ocium aliquod nactus, mihi ludens, nemini illudens conscriberem, si epistolas etiam quasdam, quoniam summi etiam uiri in hoc familiari dicendi genere elaborarunt, quis tandem posset reprehendere? quis non huic meæ uoluntati gratias haberet, etiam si res non succederet? quanquam quæ minus succedent, lucetnæ igni, quo istam scribimus, mandabuntur. Mouit me illud etiam non mediocriter: nam quum antea scripsissem de loquutione hominis ad Deum, & mox econuerso de loqutione Dei ad hominem, faciendum mihi putaui, ut quod supererat tertium, de loquutione hominis ad hominem scriberem: quod & si ex occasione factum est aliis locis pluribus, hoc tamen libello uberius & luculentius feci. Illud tamen etiam atque etiam præmonendum puto, falli nos uehementer & decipi, si in his studiis, quæ ad nostram & multorum utilitatem colenda duco, putamus positam rationem æternæ salutis. Etenim plurimi uiri sancti rudes fuere. Alii qui omnibus doctrinarum & eloquentiæ ornamentis abundarunt, tantum hanc oris & pectoris sui dotem in turpes aut inutiles usus contulerunt. Ego eloquentiam commendo, sed eam, quæ pro iustitia & æquitate pugnat, quæ id agit, ut ueritas pateat, & placeat, moueat, delectet, mendacii autem defensionem nemo diceret ad oratoris officium pertinere, quoniam id non esset officium, sed maleficium. Qua propter ueteres Rhetoricæ artis scriptores non sunt ausi aliter describere Oratorem, quàm ut eum dicerent uirum bonum dicendi peritum, quasi malo uiro tale nomen aptari non posset, nec uero mendacii defensores multum sibi eloquentiæq; suæ debent confidere, etiam si aduersus alium ineloquentem contendant. Sæpè enim ueritas non armata, nec ornata, sed tantum nuda congrediens suis neruis ac lacertis falsitatem comptam fucatamq; collidit: magnum sanè pondus adiicit uerbis uita dicentis, si recta sit: quæcunque de Sapientis probatiq; uiri ore exeunt, celsiora omnia & augustiora uidentur, magisque premunt auditorum animos. Sin pessimos habeat mores, qui dicit, & is suis digna moribus loquatur, uix est ut quicquam proficiat, nisi apud sui similes, & maximum crimen in homine hoc maximam eloquentiam iudico. Quantum autem polleat dicentis auctoritas multis antea quæsita meritis, ubi ad populum concitatum habenda est oratio, disertissimus indicat Poeta pulcherrima illa in comparatione, dum inquit.

Ac ueluti magno in populo cum sæpe cohorta est
Seditio, sæuitq; animis ignobile uulgus,
Iamq; faces & saxa uolant, furor arma ministrat,
Tum pietate grauem, ac meritis si forte uirum quem
Conspexere, silent, arrectisq; auribus astant.

Ille

Ille regit dictis animos, & pectora mulcet.
Istis uidetur Poeta uersibus pinxisse effigiem perfecti Oratoris, qui tum demùm talis est, si non solùm dictis, sed etiam meritis excellit. Frustra obiici tur eloquentiæ lacertis quosdam abuti, quoniam id non artis, sed artificis uitium est re bona male utentis. Rectè (ut arbitror) Origenes, qui humanam scientiam, neque in bonorum parte posuit, neque malorum, medium quiddam & indifferens esse dixit, quia qui iustè hac utitur, proderit plurimùm, lædet autem si iniustè utatur: Quod & diuitiarum, & uirium, & pul chritudinis, & imperii, reliquorum denique omnium excepta una uirtute commune est. Quamobrem quidam ex magna notitia ingenuarum artium ad Christum transgressi capacius diuinæ legis dogmata hauserunt, & cæteris præstantius effuderunt. Contra autem nonnulli turpissima facta, nefarias doctrinas in Ecclesiam intulerunt, sanctamq; Christi sponsam sceleratis factionibus uiolarunt, facultatibus abutentes liberalium artium, quas didicerant, oportet antea, sicuti superius expressimus, castos & sanctos Chri stiano dignos nomine mores induere: huius rei prior cura esse debet, poste rior disciplinarum ingenuarum, unaq; cum his ipsius eloquentiæ, ut recta suadeantur, non ut eius euadamus uiribus, si quid turbauerimus, & deliquerimus. Cogitandum nanque nos aliquando ad Iudicem Deum uenturos, coram quo oratorio more causa non erit agenda. Nulla erit ibi eloquu tio, quæ mentis nostræ cogitata aut magis tegat, aut magis aperiat, nulla linguæ uolubilitas iuuabit eum, qui à uita sua proditus fuerit, non ouina pellis lupum, non sepulchri dealbatio internam inquinationem poterit occultare. Omnia nostra prodibunt nuda & inermia tanquam scisso & detracto omni indumento, & qualia fuerint, toto orbi patescent.

FINIS.

P. FRANCISCVS SPINVLA MEDIOLANENSIS,

IN PRAECLARVM M. ANTONII NATTAE ASTENSIS, IVR. VTR. PERITISS. DE REGIMINE PRINCIPVM, OPVS.

Reges instituit præceptis Natta disertus;
Ne sibi & officiant, sint aliysq; graues.
Vt, duce Iustitia, discant frænare superbos,
Prodesse innocuis, omnibus esse patres.
Qui regere haud animum didicit Virtute magistra,
Eruet & populos seq;, Tyrannus erit.

REGISTRVM.

A B C D E F G H I K L M N O P Q R S T V X.

Omnes sunt duerniones.

AL DVS

VENETIIS, M. D. LXII.